

Series II. — «ANALESTA OSBM» — Sectio I.
Серія II. — «ЗАПИСКИ ЧСВВ» — Секція І.

P. P. LOZOVEI, OSBM

DE METROPOLITARUM KIOVIENSIVM POTESTATE

(988-1596)

ED. II

ROMAE, 1962

PP. BASILIANI - VIA S. GIOSAFAT, 8 (PIAZZA S. PRISCA)

ANALECTA ORDINIS S. BASILII MAGNI

SECTIO I

Series II. — «ANALECTA OSBM» — «ЗАПИСКИ ЧСВВ» — Серія II.

Sectio I:

OPERA

vol. XV

P. P. LOZOVEI, OSBM

DE METROPOLITARUM KIOVIENSIVM POTESTATE

(988 - 1596)

ROMAE

Series II. — «ANALECTA OSBM» — Sectio I.
Серія II. — «ЗАПИСКИ ЧСВВ» — Секція I.

P. P. LOZOVEI, OSBM

DE METROPOLITARUM KIOVIENSIVM POTESTATE

(988-1596)

ED. II

ROMAE, 1962

PP. BASILIANI - VIA S. GIOSAFAT, 8 (PIAZZA S. PRISCA)

IMPRIMI POTEST

Romae, e Curia Generali Ordinis Basiliani S.ti Josaphat, die 10.X.1961.

P. PAULUS P. MYSKIV
Protoarchimandrita - Superior Generalis

IMPRIMATUR

Romae, e Vicariatu Urbis, die 31.VII.1962.

✠ ALOYSIUS Card. Provicarius

INDEX

	PAG.
<i>Praefatio</i>	IX
<i>Fontes</i>	XV
<i>Bibliographia</i>	XV
<i>Abbreviationes</i>	XXI
INTRODUCTIO	1
CAPUT I — METROPOLITA ET PATRIARCHA	21
Art. 1 — De Metropolitarum institutione	23
Art. 2 — De Metropolitarum judicio apud Patriarcham	29
Art. 3 — De Metropolitarum limina visitandi obligatione.	31
CAPUT II — METROPOLITA ET SYNODI.	35
Art. 1 — Synodorum convocatio earumque numerus	37
Art. 2 — Membra concilii	42
Art. 3 — Synodorum competentia	45
CAPUT III — METROPOLITA ET EPISCOPI	49
Art. 1 — De Episcoporum institutione	51
Art. 2 — De Coadiutorum institutione	69
Art. 3 — De Episcoporum translatione	73
CAPUT IV — METROPOLITA ET EPISCOPI (II)	77
Art. 1 — De Episcoporum judicio	79
Art. 2 — De Episcoporum depositione	84
Art. 3 — De Appellatione	90
Art. 4 — De potestate poenas infligendi	95
CAPUT V — METROPOLITA ET EPARCHIAE	103
Art. 1 — De Eparchiarum erectione	105
Art. 2 — De Eparchiarum limitibus	107
Art. 3 — De Eparchiarum visitatione	109
CAPUT VI — METROPOLITARUM PRIVILEGIA	113
I — De Chrismatis consecratione	115
II — De commemoratione in Liturgia	117
III — De titulo Metropolitarum.	117
IV — De lampade in processionibus	118
V — De vestibus liturgicis	118
CONCLUSIO	121
INDICES	125
I. Series Metropolitarum Kioviensium.	127
II. Series Patriarcharum Constanopolitanorum.	128
III. Elencus Eparchiarum Metropoliae Kioviensis	130
IV. Index nominum	133

PRAEFATIO

P R A E F A T I O

In Bulla Pii PP. VII, qua Metropolia Haliciensis anno 1807 restaurata est, inter alia rem spectantia, dictum est: « ... ut dictarum Leopoliensis et Haliciensis Ecclesiarum unitarum Praesules omnia et singula, quae ad similes Ruthenae Nationis et Ritus Archiepiscopos in eorum civitatibus et Dioecesisbus ad Archiepiscopale munus exercendum de jure, usu, consuetudine aut alias quomodolibet spectare et pertinere solent ac debent, gerere, facere et exercere libere ac licite possint... » (HARASIEWICZ, Annales Ecclesiae Ruthenae, p. 795) eo modo quod « nullum de caetero juribus ac privilegiis Metropolitanae Ecclesiae Kijoviensis praejudicium inferatur... » (IBIDEM, p. 797). Hisce verbis breviter argumentum attingit Bulla Clementis VIII « Decet Romanum Pontificem » (1596), qua jura Metropolitae Kijoviensis circumscripta erant, ubi inter alia de provisione eparchiarum vacantium dicitur, quodsi novus pastor « juxta modum eorum, seu modum illis permissum, electus seu nominatus fuerit, a predicto Archiepiscopo Metropolita Kijoviensi et Haliciensi nunc et pro tempore existenti auctoritate, et nomine Sedis Apostolicae, confirmari vel institui, eiusque munus consecrationis impendi possit... » (IBID., p. 221). Hoc modo Sancta Sedes respondit ad Episcoporum Ruthenorum « articulum seu cautionem » undecimam, in lucem datam 1 Junii 1595, in qua dicitur: « Pro litteris “sacrae” Episcopi ritus nostri Romam ut non mittant, sed cum aliquem Sacra Regia Majestas in episcopum nominaverit, metropolita sive archiepiscopus more antiquo unumquemque eiusmodi consecrare debet... » (HOFFMANN, Ruthenica, in « Orientalia Christiana », nr. 12, p. 152).

Verbis supra citatis unum, et id maximi momenti, juris Metropolitici capitulis ex omnibus continetur. Hac occasione quamvis verbum « more antiquo » prolatum sit ex una parte, ex alia tamen de « more eorum seu modo illis permisso » agitur. Nam et Pius VII de « jure, usu, consuetudine » agit.

Haec jura, usus, consuetudines, mores antiquos invocant semper etiam fratres Ecclesiae Orientalis a nobis separati, cujus Ecclesiae Metropolia Kiovensis pars est praecipua.

Non obstantibus circumstantiis hodiernis, Metropoliae Kiovensi et etiam Haliciensi difficillimis, spem habemus inconcussam fore, ut verbum et desiderium Christi « ut omnes unum sint » (Jo. 17, 11. 21) quam primum effectum sortiatur. Attamen praetendere non possumus rem istam ad modum incordinationae abdicationis omnium jurium et privilegiorum consecuturam posse. Ne-

que tamen ex parte Ecclesiae Catholicae res ita desideratur; e contra, omne quod dignum et justum est, omnibus relinquendum est.

Praeparati proinde nostra ex parte esse debemus beneque instructi, ne nimia concedantur, sed etiam ne nimia subtrahantur, quae subtrahi necessario non videntur. Unde et scopus dissertationis nostraræ clare apparet, ut aliqua saltem ex « more illo antiquo » indagemus, qui ante Unionem Berestensem in Metropolia Kioviensi viguit.

Ut ex ipso titulo dissertationis nostraræ apparet, investigationes, quae a nobis adducuntur, pertinent ad totam periodum illam, quae a formatione Metropoliae in Patriarchatu Constantinopolitano usque ad exitum juridicum ex eodem Patriarchatu, et Unionem cum Patriarchatu Romano protrahitur (988-1596).

Periodus haec difficillima sese praebet investiganti, tum ob ipsorum fontium inopiam, tum etiam ob bibliographiae penuriam. Praeterea nobis considerandum est, pauca tantummodo ex hac periodo exstare documenta, materiam hujusmodi nostraræ dissertationis spectantia. Inde et methodus nostraræ indagationis. Documentis enim deficientibus, nil mirum si etiam minutæ, immo saepe minutissimas notitias colligere studuimus, ut opus hoc musivum eventibus historicis destructum funditus reficiamus. Quare narratio nostra citationibus eventuum potius abundat, quam propriis conclusionibus delucidationibusque.

Nisi caute et raro conclusio aliqua tentari potuit; nam in re tanti momenti, de qua in futuro acriter etiam disputandum erit, nimia sobrietate peccari non posse visum est.

Conscii tamen nobis sumus, spectata præsertim operum de hac materia paucitate, nos laborem omnino utilem præstasse. De aliqua conspicua omissione ut convinceremur non erit facile; sed et revelationes aliquae conspicuae hac in materia sunt potius res desideriorum quam scientificæ conjecturæ. Praeterea fere omnia hac in re satis requirunt patientiae. Namque campum longa per decennia inaratum aratro lectionis attentæ peragrayimus.

Fontes, ex quibus hausimus, omnes jam sunt juris publici facti. Qui adducuntur dissertationis hujus decursu, sunt ii tantum, qui directe materiam nostram pertractant, quique tantum partem et hanc minimam efformant ex omnibus, quos inspeximus. Attento enim fine dissertationis non omnia quae in fontibus his inveniri potuerunt, sumpsimus, sed ea tantummodo, quae sive modum administrationis ecclesiasticae in Metropolia Kioviensi vigentem indicant, sive nuda facta historica narrant.

Consilio nobis in hoc labore attente invigilabat Rev.mus P. Antonius Wuyts, S. J., Rector Pontificii Instituti S. Joannis Damasceni nosterque Professor et Moderator, cui hoc loco maximas agimus gratias. Gratias quoque agimus nostris in Urbe confratribus, qui auxilio omni nobis semper adstabant. Supe-

rioribus autem nostris Dominus Noster ejusque Beatissima Mater gratiis pro gratia retribuat uberrimis.

Nil remanet, nisi ut Dominum Deum Nostrum oremus, ut Ecclesiae Nostrae Unitae Praesulibusque eius hanc concedat gratiam, ut ex lachrymis, sudoribus, angustiis, vinculis et martyrio eorum nova adveniat aetas, qua Archipraesul Kioviensis nulli nisi Christi Vicario obedire teneatur, « ut omnes unum sint », et « sit unum Ovile et unus Pastor ».

Romae, die 1 Julii 1952.

**FONTES
BIBLIOGRAPHIA
ABBREVIATIONES**

FONTES ET BIBLIOGRAPHIA

I. Fontes.

- Akty otnosjaččisja k istoriji Jugo-Zapadnoj Rossiji*, t. I-III, S. Peterburg 1863-1892.
Akty otnosjaččisja k istoriji Zapadnoi Rossiji, t. I-IV, S. Peterburg 1846-1853.
Archeografičeskij Sbornik dokumentov otnosjaččisja k istorii Severo-Zapadnoj Rusy, t. I, Vilno 1867; t. IX, Vilno 1870.
Archiv Jugo-Zapadnoj Rossiji izdavajemij vremennouj Komisijeju dla razbora drevnich aktov, Pars I, t. I, Kijev 1859; t. X, Kijev 1904.
BENEŠEVČ V., *Sbornik pamjatnikov po istoriji tserkovnago prava*, Petrograd 1914.
Brestkij Sobor 1591 roku (Acta), in «*Izvestija Russkaho jazyka i slovesnosti*», XII (1908), fasc. 2, p. 65-71.
Chronica Ipatjevskaja, in «*Polnoje Sobranije Russkich Letopisej*» t. II, S. Peterburg 1843.
Chronica Lavrentjevskaja, in PSRL., t. I (ed. 2), Leningrad 1926.
Chronica Niconis, in PSRL., t. IX-XII, S. Peterburg 1862-1901.
Chronica Novgorodensis (quarta), in PSRL., t. IV (ed. 2), S. Peterburg 1901.
Chronica Trojitskaja, in PSRL., t. I, S. Peterburg 1846.
EUHENIJ (BOLKHOVITINOV), *Opisanije Kijevovo-Sofijskaho Sobora i Kijevskoj Jerarchiji, additamentum*, Kijev 1825.
KALAČOV N., *Archiv istoryko-juridičeskich svedenij otnosjaččisja k Rossiji*, t. II, Moskva 1850.
MANSI J. D., *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio*, t. XI, Parisiis 1901; t. XIII, Parisiis 1902; t. XIV, Parisiis 1902.
MILKOWICZ W. L., *Monumenta Confraternitatis Stauropigianae Leopolensis*, t. I-II, Leopolis 1895.
Opisanije documentov archiva Zapadno Unijatskich Mitropolitov, t. I, S. Peterburg 1897.
Opredilenija Sobora Vilenskaho (1509), in «*Pravoslavnyj Sobesednyk*», 1863, pars III, p. 113-124.
PAVLOV A., *Pamjatniki drevne-ruskaho kanoničeskaho prava*, pars I, in «*Russkaja Istoričeskaja Biblioteka*», t. VI, S. Peterburg 1908.
PITRA I. B., *Juris ecclesiastici graecorum historia et monumenta*, t. I-II, Romae 1864-1868.
REGEL W., *Acta electionis Episcoporum Russiae temporibus Theognosti*, in «*Analecta Byzantino-Russica*», Petrograd 1891, p. 52-56.
THEINER A., *Vetera monumenta Poloniae et Lithuaniae historiam illustrantia*, t. II-III, Romae 1861-1863.
TURGENEV A. I., *Supplementum ad Historica Russiae Monumenta*, Petrograd 1848.

II. Bibliographia.

- AMMANN A.M., *Storia della Chiesa Russa e dei Paesi limitrofi*, Torino 1948. — *Der Aufenthalt der ruthenischen Bischöfe Hypatius und Cyrillus Terlecki in Rom im Dez. und Jan. 1595-96*, in «Orient. Christ. Periodica», X (1944), pp. 103-140. — *Zur Geschichte der Geltung der Florentiner Konzilsentscheidungen in Polen-Lithauen. Der Streit ueber die Gueltigkeit der Griechentaufe*, in «Orient. Christ. Period.» VIII (1942), p. 299-316. — *Wladimir dem Apostelgleichen zum Gedächtniss*, in «Orient. Christ. Periodica», V (1939), p. 186-206.

- ANTONOVIC V.B.**, *Monografiji po istoriji Zapadnoj i Juhozapadnoj Rosiji*, Kazan 1895.
- ARCUDIUS P.**, *De concordia Ecclesiae Orientalis et Occidentalis in Sacramentorum administratione*, Lutetiae Parisiorum 1672.
- ARKAS M.**, *Istoriya Ukrayiny-Rusi*, S. Peterburg 1908.
- BARSOV T.**, *Konstantinopolskij Patriarch i jeho vlast nad russkoju Tserkoviju*, S. Peterburg 1878. — *O kanoničeskem elementi v tserkovnom upravleniji*, Moskva 1882. — *Kratkoje izlozenije kanoničeskogo prava jedinoj, svjatoj, sobornoj i apostolskoj Tserkvi*, sostavlenoje Andrejem von Schaguna, in « Christijanskoje Ctenije », I, pp. 3-25, 452-487, 830-875, 979-1012; II, pp. 14-43, 755-808, 939-963; II (1871), I, pp. 302-328, 981-1054; II, pp. 327-363.
- BAUMGARTEN N. DE**, *Halitch et Ostrog*, in « Orient. Christ. Period. » III (1937), p. 161-180.
- BERDNIKOV I.S.**, *Kratkij kurs tserkovnago prava pravoslavnoj greko-rossijskoj tserkvi*, Kazan 1914.
- BIERNACKI N.**, *Jus « Orthodoxorum » Russorum respectu juris Ecclesiae Romanae, Posnaniae 1914.*
- BOGDANOVIC L.**, *Sv. Miro*, in « Srpski Sion », 1894, pp. 561-562.
- BRANKOVIC V.**, *Sv. Miro*, in « Glasnik », 1940, pp. 304-306, 367-368.
- BUČÝNSKYJ B.**, *Studiji z istoriji tserkovnoj uniji*, in « Zapysky Tovarystva Ševčenka », t. 85, p. 21-42; t. 86, p. 5-30; t. 88, p. 5-22; t. 90, p. 5-24. — *Zmahanja do uniji ruskoj Tserkvy z Rymom v rokach 1498-1506*, in « Zapysky Naukovoho Tovarystva v Kyjivi », IV (1909), p. 100-136; V, p. 61-87; VI, p. 5-53.
- CAYRE F.**, *Patriarcat de Constantinople, Le Saint Chrême*, in « Echos d'Orient », XV (1912), p. 267-270.
- CHOMIAK R.**, *De causis Unionis in Berest Lytovskoj*, in « Lohos », Periodicum Theologiae Trimestrale, Waterford (Canada.) I (1950), n° 3, p. 225-228; II (1951), n° 1, p. 65-71.
- COUSSA A.**, *Epitome preelectionum de Jure Ecclesiastico Orientali*, I, Vaticanum 1940.
- CROCE I.**, *Textus selecti ex operibus commentatorum Byzantinorum Juris Ecclesiastici, Codificatione Canonica Orientale*, Fonti, ser. II, fasc. V, Vaticanum 1939.
- CUBATYJ M.**, *Zachidna Ukrayina i Rym v XIII vitsi v svojich zmahanjach do tserkovnoj uniji*, in « Zapysky Naukovoho Tovarystva Ševčenka », Leopoli 1917, p. 1-108.
- CISTOVIC I.**, *Ocerk istoriji zapadno-russkoj Tserkvi*, S. Peterburg 1884.
- DOBRJANSKYJ A.**, *Istoriya Episkopov trech sojedynennych eparchij, peremyslskoj, samborskoy i sanotskoj*, Leopoli 1893.
- DOBROKHOVSKYJ N.**, *Sobory v ruskoj Tserkvi do polovini XV veka*, in « Pered tserkovnym Soborom », Moskva 1906, p. 167-197. — *Učastije klira i mirjan na soborach v pervyje devyat vekov christijanstva*, in « Pered tserkovnym Soborom », Moskva 1906, pp. 74-99.
- EUHENIJ (Bolkhovitinov)**, *Opisanije Kijevosofijskago Sobora i Kijevskoj Jerarchiji* Kijev 1825.
- FIJALEK J.**, *Sredniowieczne biskupstwa Kościola wschodniego na Rusi i Litwie na podstawie zródeł greckich*, in « Kwartalnik historyczny », X (1896), p. 487-521. — *Biskupstwa greckie na ziemiach ruskich od połowy w. XIV*, in « Kwartalnik historyczny », XI (1897), p. 1-64.
- FILARET (Gumilevskij)**, *Istoriya russkoj Tserkvi*, I-II, Cernihov 1862. — *Cernihovskij Jierarchy*, in TKDA, I (1860), I, p. 169-281.
- GIANNELLI C.**, *A propos de la confirmation du Metropolite de Kiev Joseph Bolharynovyc par le patriarche oecumenique Joachim I*, in « Orient. Christ. Period. », IX (1943), n° 3-4, p. 450-459.
- GOLUBINSKIJ E.**, *Istoriya Russkoj Tserkvi*, I-II, Moskva 1901-1904. — *Christijanstvo v Rossiji do Vladimira Svjatoho*, in « Jurnal Ministerstva Načodnago Prosveščenija » 1876, n° 9, p. 46-84., n° 10, p. 133-169. — *Obrăštenije vsej Rusi v Christijanstvo, Vladymyrom i soversenoje utverždenije v nej christijanskoj viry pry jeho preemnykach* in « JurnMNPr. », 1877, n° 190, p. 100-163; n° 191, p. 26-47. — *Myropolij vseja Rossiji sv. Petr*, in « Bogoslovskij Vestnyk », 1894 (n° 1), p. 18-66. — *Mytro-*

- polyt vseja Rossiji Maksym*, in « Bogoslovskij Vestnyk », 1894 (nº 5), p. 197-205.
 — *Mytropolyt vseja Rossiji Kiril III*, in « Bogoslovskij Vestnyk » (1894), (nº 1-2), p. 17-43, 229-257.
- GRIGOROVIC I., *Istoričeskoje izsledovanije o soborach byvšich v Rossiji so vremenem vvedenija v onužu christijanskoy very do vosšestviya na prestol Tsara Ioana IV*, Petrograd 1864.
- HALECKI O., *Dzieje Uniji Jagellonskiej*, I, Krakow 1919.
- HALLIER F., *De sacris electionibus et ordinationibus ex antiquo et novo jure*, Romae 1749.
- HARASIEWICZ M., *Annales Ecclesiae Ruthenicae*, Leopoli 1862.
- HEFELE-LECLERCQ, *Histoire des Conciles*, Paris 1907-1949.
- HERMAN AE., *De fontibus Juris Ecclesiastici Russorum*, Codificazione Canonica Orientale, Fonti, ser. II, fasc. VI, Vaticanum 1936.
 — *Appunti sul diritto metropolitico nella Chiesa Bizantina*, in « Orient. Christ. Period. », XIII (1947), n. 3-4, p. 522-550. — *Wann ist die Chrysamweihe zum ausschliesslichen Vorrecht der Patriarchen geworden*, in « Izvestija na Blgarskoto istoričesko Drustvo ». Sbornik v pametj na Prof. Petr. Nokov, Sofia 1939, p. 509-515.
- HERMAN-WUYTS A., *Textus selecti iuris ecclesiastici russorum*, Codificazione Canonica Orientale, Fonti, ser. II, fasc. VII, Romae 1944.
- HOFFMANN G., *Papst Pius II und die Kircheneinheit des Ostens*, in « Orient. Christ. Period. », XII (1946), n. 3-4, p. 217-237. — *Das Konzil von Florenz mit Rom*, in « Orient. Christ. Period. », XV (1949), p. 71-84.
- HOLOVECKYJ D., *Jus particulare Ruthenorum*, Codificazione Canonica Orientale, Fonti, ser. I, fasc. XI, Vaticanum 1933.
- HRUŠEVSKYJ M., *Istorija Ukrayiny-Rusi*, I-V, Leopoli 1904-1905.
- IKONNIKOV V. S., *Opyt izsledovanija o kulturnom značeniji Vizantiji v Russkoj istoriji*, Kijev 1869.
- IZVEKOV M. S., *Prepodobnyj Antonij Velikij*, in « Christijanskoje Ctenije », LIX (1879), II, p. 66-130, 272-317.
- JARUŠEVIČ A., *Revnitel pravoslavija knyaz Konstantyn Ivanovič Ostrogskij i pravoslavnaja litovskaja Rusj v iejo vremja*, Smolensk 1897.
- JATSIMIRSKIJ A. I., *Hryhorij Tsamblak*, Petrograd 1904.
- JUGIE M., *La confirmation des apostats dans l'église grécorusse*, in « Echos d'Orient », IX (1906), p. 65-76.
- KAPTEREV I. F., *Charakter otноšenij Rossiji k pravoslavnому vostoku v XVI i XVII stoletijach*, Sergiev Posad 1914.
- KAPTEREV N., *Vlast patriarsaja i archijerejskaja v drevnej Rusi v jieh otnošeniji k vlasti tsarskoj i k prichodskomu duchovenstvu*, in « Bogoslovskij Vestnyk », 1905, I, p. 657-690; II, p. 27-64.
- KARALEVSKIJ C., *La penetration Catholique en Russie*, Grottaferrata 1921.
- KARAMZIN N. M., *Istorija Gosudarstva Rossijskago*, S. Peterburg 1842-1843.
- KARPOV G., *Očerk iz istoriji Rossiskoj tserkovnoj jerarchiji*, in « Ctenije », 1864, pars III, « Izsledovanija », pp. 1-102.
- KEDROV N., *Očerk charakteristiki drevne-russkich tserkovnyx soborov*, in « Pered tserkovnym Soborom », Moskva 1906, p. 128-166.
- KLEPATSKIJ P. H., *Izloženije drevnyx zakonov pravoslavno-katolytskoj tserkvy*, in « Christijanskoje Ctenije », 1849, II, p. 214-301.
- KLEVANOV M., *Istorija Juho-Zapadnoj Rusy do poloviny XIV stoletija*, Moskva 1849.
- KOJALOWIC M. O., *Istorija vozrojdenija zapadnorusskikh unijatov*, S. Peterburg 1873.
- KORCZOK A., *Die griechisch-katholische Kirche in Galizien*, Leipzig 1921.
- KULCZYNSKI I., *Specimen Ecclesiae Ruthenicae*, ed 3, Parisiis 1859.
- KURTSCHIED B., *Historia Institutionum Juris Canonici*, I, Romae 1941.

- KUTRZEBĂ-FIJALEK, *Kopiarz rzymski Erazma Ciołka*, in « Archivum kommisji historycznej », ser. II, t. I, Krakow 1923, p. 75.
- LEDIT J., *Historia Ecclesiastica Slavica*, pro manuscripto, Romae 1932-1933.
- LEVYTSKYJ O., *Vnutrišnij stan zachidno-ruskoj Tserkvy v polsko-lytovskoj deržavi v kintsi XVI st. ta Unija*, Leopoli 1900. — *Osnovnyje čerty vnutrenago stroja zapadno-russkoj tserkvy v XVI i XVII vv.*, in « Kijevskaja Starina », 1884, IX, p. 627.
- LIKOWSKI E., *Berestejska Unija* (1956), versio Basilii Kuzma et Joseph Zatorskyj, Zovkva 1916.
- LOCHVICKIJ A., *Očerk tserkovnoj administratsiji v drevnej Rossiji*, Sergiev Posad 1912.
- LOTOTSKYJ O., *Ukrajinski džerela tserkovnoho prava*, Warszawa 1931.
- LYŽLOV, *Otnošenije drevne-russkaho občestva k tserkvy v period domonholskij*, in « Věstník Juho-Zapadnoj Rossiji », IV (1863), lib. XII, otdil 2, p. 114-127.
- MAKARIJ (Bulgakov), *Istorija Russkoy Tserkvi*, ed. 3, S. Peterburg 1879-98.
- MALÝŠEVSKIJ I., *Kijevskije Sobory*, in TKDA, 1884, III, p. 487-538.
- MANSUETOV I., *Mytropolit Kyprjan v jeho liturgičenoj dejatelnosti*, Moskva 1882.
- MARKEVIČ G., *Vyborne načalo v duchovenstve v drevne-russkoj, preimusočestvenno ju-go-zapadnoj Tserkvi do reformy Petra*, in TKDA, 1881, III (aug.), p. 225-273; (sept.), p. 484-550.
- MAROŠKIN M., *Vyborne načalo v duchovenstve*, S. Peterburg 1870.
- MIKLOSICH-MUELLER, *Acta Patriarchatus Constantinopolitani*, I-II, Vindobonae 1860-1862.
- MILAŠ N., *Pravoslavno Tsrkovno Pravo*, Sofia 1904. — *Pravyla pravoslavnoj Tserkvi s tolkovanjami*, S. Peterburg 1911-1912. — *Dostojanstva u pravoslavnoj Tserkvy*, Pančevo 1879.
- MOTTA J., *Dissertatio de Metropolitico Jure*, Venetiis 1726.
- MURAVJEV A. N., *Snošenija Rossiji s Vostokom*, I-II, Petrograd 1858-1860.
- MYCHALSKYJ A., *Staro-ukrajinske zvyčajeve pravo vybyranja epyskopiv iz monachiv*, in « Lohos » II, (1951), n. 1, p. 11-12.
- NESELOVSKIJ A., *Cyny ohyrötōnesij i ohyrōtonij*, Kamenets-Podolsk 1909.
- NIKOLAJEVSKIJ P.T., *Učreždenije Patriaršestva v Rossiji*, in « Christijanskoje Ctenije », LIX (1879), II, pp. 3-40, 369-406, 552-581. — *Ob učastiji pastvy v delach tserkovnych po pravylam drevnej tserkvy i o kanoničeskem značeniji jeho*, in « Christijanskoje Ctenije », XLI (1861), II, p. 343-410.
- OHIJENKO IVAN (Mytr. Ilarion), *Ukrajinska Tserkva*, Praha 1942.
- ORNATSKIJ A., *Istorija Rossijskoj Jerarchiji*, Moskva 1807-1815.
- PALIWODA-JASZOWSKI, *Praelectiones e Jure Canonico cum attentione ad ritum rutheno-catholicum*, Leopoli 1901.
- PAPP-SZILAGYJ J., *Enchiridion Juris Ecclesias orientalis catholicae*, ed. 2, Magno-Vardinij 1880.
- PAVLOV A., *Ob učastiji mirjan v delach Tserkvi*, Kazan 1866.
- PAVLOV A., *Teorija vostočnaha papyzma v novejšej russkoj literature kanoničeskaho prava*, in « Pravoslavnoje Obozrenije », 1879, III, p. 476-499; V, p. 734-765. — *Mnimej sledy katoličeskaho vlejanija v drenich pamjatnikach jugoslavjanjaka i russkoho tserkovnaha prava*, Moskva 1892. — *O načali Halytskoj i Lytovskoj Mytropoliji*, in « Russkoje Obozrenije », 1894, V, p. 214. — *Kurs tserkovnaha prava*, Sv. Serigjeva Lavra 1902.
- PELESZ J., *Geschichte der Union der ruthenischen Kirche mit Rom*, I-II, Wien 1878-1880.
- PEROV I.T., *Eparhijalnyja učreždenija v russkoj Tserkvi v XVI i XVII vv.*, Rjazan 1882.
- PETIT L., *Du pouvoir de consacer le Saint Chreme*, in « Echos », III (1899), pp. 1-7, 129-142.
- PETRUŠEVYČ A., *Hedeon Balaban, epyskop lvovskij*, in « Naukovyj Sbornyk », Leopoli 1867, pp. 111-161. — *O halytskich epyskopich so vremenem učreždenja halytskoj eparhiji, daže do kontsa XIII v.* — *O sposobi izbranija i postavlenija v djakonskij i svjascenyčeskij čyn iz mirskych lyts v XVI st. na južnoj Rusy*; *O sposobi izbyranija*

- i postavlenija epyskopa.* — Kratkoje istoryčeskoje izvistije o vremeney vvedenija chrysjanstva na Halytskoj Rusy, osobenože ob učreždeniji svjatyeljskych stolys v Halyči i Lvovi i o svjatyeljach sydivšych na upomjanutych stolysjach, Lviv 1882.
- Historica expositio de auctoritate, juribus et praerogativis Metropolitani in Hierarchia Ecclesiae Graeco-Ruthenae, Leopoli 1885.
- PLOŠČANSKIJ V.M., Prošloje Cholmskoj Rusy, Vylna 1899.
- POKROVSKIY A., K istoriji i charakterystike soborov juhozapadnoj Rusy XV-XVII vekov, in « Pered tserkovnym Soborom », Moskva 1906, pp. 205-245.
- POKROVSKIY I., Russkija Eparchiji v XVI-XIX vv. jich otkrytie, sostav i predely, Kazan 1897. — Polnyj pravoslavnij bogoslovskij entsyklopedičeskij slovar, ed. Sojkin P.P., Petrograd (sine data).
- POSPIŠIL V., Svjate myro, in « Kovčeh » (Stamford, USA), VI (1951), n. 6-7, pp. 87; n. 8-9, p. 105; n. 11, p. 143-144; VII (1952), n. 3, p. 41-42. — Die Rechtsstellung des Patriarchen der Serbischen Kirche in der Kirchenverfassung von 1931-1947, Brixen 1950.
- PRISELKOV M.D., Očerki po tserkovno-političeskoj istoriji kijevskoj Rusy X-XI vv., in « Zapisky ist.-fil. fakulteta Imp. S. Petersburskago Universiteta », CXVI, Petrograd 1913. — Otryvki V.M. Beneševiča po istoriji russkoj Tserkvi XIV v., in « Izvestija otdelenija russkaho jazyka i slovesnosti », XX, Petrograd 1916, p. 48-68.
- PRODROM F., Joan II, mytropoljt Kijevskij, in « Zapiski Imp. Novorossijskaho Universiteta », C (1905), II, p. 40-46.
- LE QUIEN M., Oriens Christianus in quatuor Patriarchatus digestus, Parisiis 1740.
- RAES A., Introductio in Liturgiam Orientalem, Romae 1947.
- SERHIJEVIĆ V.I., Lektsiji i izašledovanija po drevnej istoriji russkaho prava, S. Peterburg 1910.
- SERISKI P., Poenae in jure byzantino ecclesiastico ab initiis usque ad saeculum XI, Rome 1941.
- SIMEON THESSALONICENSESIS, De Sacris Ordinationibus, in PG., t. 155, col. 361-470. — De sacra Liturgia, PG., t. 155, col. 253-304.
- SOKOLOV D., Izbranie Patriarchov v Vizantiji, S. Peterburg 1907. — Istorija razdeljenija russkoj mytropoliji, Petrograd 1900.
- SOKOLOV I., Izbranie archijerejev v Vizantiji IX-XV vv., in « Vizantijskij Vremennik », XXII (1915/16), p. 193-252. — Pro vidnosnyj ukrajinskoji tserkvy do hretskoho schodu na pry kintsi XVI ta na počatku XVII st., in « Zapisky ist.-fil. Vidilu Ukr. Akad. Nauk », I (1919-1922), p. 53.
- SOKOLOV P., Russkij Archijerej iz Vizantiji i pravo jeho naznačenija do načala XV v., Kijev 1913.
- STROJEV P. M., Spiski jerarchov i nastoiatelej monastyrej Rossijskoy Tserkvi, S. Peterburg 1877.
- STROMILOV N. S., O soborach tserkovnyx byvšich v Rossiji so vremenem vvedenija v nej christijanstva do tsarstvovanija Joanna Hroznaha, Petrograd 1907.
- SUKHANOV I., Razsuždenije ili istoričeskoje izašledovanije o soborach rossijskoy Tserkvi, Petrograd 1803.
- SVUROV N., O tserkovnyx nakazanijach, S. Petreburg 1876. — Učebnik tserkovnago prava, ed 5, Moskva 1913. — Kurs tserkovnago prava, I-II, Jaroslavl 1889-1890. — Sledy zapadno-katoličeskago tserkovnago prava v pamjatnikach drevne-russkaho prava, Jaroslavl 1888. — Svedenija o soborach byvšich v russkoj Tserkvi s X do kontsa XVI st., in « Christijanskoje Ctenije », 1852, I, pp. 301-318, 353-376; II, pp. 11-28, 529-554.
- SYNTSKIJ D., Charakter tserkovnago upravlenija v jugozapadnoj i zapadnoj Rusy pred Brestkoju Unijeju, in « Vestnyk Jugozapadnoj i Zapadnoj Rossiji », II (1862), nov., p. 55-79; III (1863), jan., p. 1-39, mart., p. 153-174.
- TEODOROVIĆ H., Gorod Vladimir volynskoj guberniji v svjazy s istorijej volynskoj ierarchiji, Počajev 1893.

- TERNOVSKIJ F., *Izuchenie vizantijskoj istoriji i jej tendentsioznoje pryrozenije k drevnej Rusy*, Kijev 1874-1875.
- TICHOMIROV M. N., *Halytskaja Mitropolija*, Petrograd 1896.
- TITOV T., *Sv. Svjaščenomučenyk Makarii, mitropolit Kijevskij i vseja Rossiji*, in TKDA, XXXVIII (1897), II, p. 1-18. — *Postavlenije vo dijakona i svjaščenika i izbranie epyscopa v drevnej zapadno-russkoj ili kijevskoj Mitropoliji v XIV-XVI vv.*, in TKDA, XLIII (1902), II, p. 134-145.
— *Kratkaja zapyska o soborach, v osobennosti russkich*, in TKDA, XLVII (1906), II, p. 305-312.
- TOMAŠIVSKYJ S., *Vstop do istoriji Tserkvy na Ukrayini* (extractum ex « Analecta OSBM », IV, Zovkva 1932), Philadelphia.
- VASILENKO N. T., *Očerky po istoriji Zapadnoj Rusy i Ukrayiny*, Kijev 1915.
- VASILEVSKIJ V. H., *Zapisi o postavleniji russkich epyskopov pry mitropoliti Teognosti*, in JMNPr., CCLV (1888), otd. II, p. 445-463.
- WUYTS A., *Le Patriarchat Russe au Concile de Moscou 1917-1918*, in « Orient. Christiana Analecta », n. 129, Romae 1941.
- ZAJIKYN V., *Christijanstvo na Ukrayini za časiv knjazja Jaropolka I (969-979)*, in « Analecta OSBM », III (1928), fasc. 1-2, p. 1-40.
— *Učastije svetskago elementa v tserkovnom upravleniji, vybornoje načalo i « sobornost » v kijevskoj Mitropoliji v XVI i XVII vekach*, Warszawa 1930.
- ZAVITNEVIČ V., *K voprosu o hodi rukopołożenia v kijevskije mytropolyty sv. Makarija i o meste jeho mučeničeskoj končyny*, in TKDA, XXXI (1890), I, p. 149-157.
- ZAOZERSKIJ N., *O svjaščennoj i pravytelstvennoj vlasti i o formach ustrojstva pravoslavnoj Tserkvi*, Moskva 1891.
— *O tserkovnoj vlasti*, Sergiev Posad 1894.
- SZARANIEWICZ I., *Istorija Vladimirskej Rusi do 1463 h.*, Leopoli 1863.
- ZHISMAN J., *Die Synoden und die Episkopal-Aemter in der Morgenlaendischen Kirche* Wien 1867.
- ZUBRÝTSKYJ D., *Istorija drevnjaho halytsko-russkoho knjažestva*, Leopoli 1852-1853.

A B B R E V I A T I O N E S

- AkJZR — Akty otnosjaščiesja k istoriji Jugozapadnoj Rossiji.
- AkZR — Akty otnosjaščiesja k istoriji Zapadnoj Rossiji.
- ArJZR — Archiv Jugo-Zapadnoj Rossiji izdavajemyj vremennoju Komisijeju dla razbora drevnych aktov.
- Archeogr. Sbornik — Archeografičeskij Sbornik dokumentov otnosjaščichsja k istoriji Severo-Zapadnoj Rusy.
- Izvestija — Izvestija otdelenija russkaho jazyka i slovesnosti.
- JMNPr. — Jurnal Ministerstva Narodnaho Prosveščenija.
- Or. Ch. Per. — Orientalia Christiana Periodica.
- Or. Ch. Anal. — Orientalia Christiana Analecta.
- PSRL — Polnoje Sobraniye Russkich Letopisej.
- RIB — Pamjatniki drevne-russkaho kanoničeskaho prava; documenta edita ab A. Pavlov in « Russkaja Istoriceskaja Biblioteca ».
- TKDA — Trudy Kijevskoj Duchovnoj Akademiji.

INTRODUCTIO

I. - A CONVERSIONE REGNI RUS' AD TARTARORUM INCURSIONEM (990-1240) — II. - AB INCURSIONE TARTARORUM USQUE AD CONCILII FLORENTINUM (1240-1439). — III. - A CONCILIO FLORENTINO AD UNIONEM BERESTENSEM (1440-1596).

INTRODUCTIO

Kiovia, Kyjiv, de cuius Metropolia in hac dissertatione est sermo, in Europa Orientali ad flumen Dnipro sita est, ut caput politicum et culturale totius Ucrainae. Ejus origo, valde antiqua, obscuritate fabularum obvoluta est. Temporibus jam historicis erat centrum — «mater omnium urbium russarum»* — non solum politicum, sed etiam religiosum Regni Rus' et in hac prae-eminentia politica religiosaque usque ad Tartarorum invasionem (1240) perduravit. Formatio novi Magni Ducatus in parte septentrionali Regni Rus' et insimul Kioviae decadentia politica, ob destructionem a Mongolis peractam, translationi centri religiosi, Sedis Metropolitanae, Mosquam versus (1299, 1325), occasionem praebuit. At Metropolitae, periodi post-mongolicae, Sedem suam extra Kioviam habentes, titulo «Kiovienses» condecorabantur etsi reapse una tantum Metroplia, id est Kioviensis, usque ad medium saeculum XV in partibus orientalibus Europae existebat.

Post longam hanc preeparationem politicam, anno 1458 secuta est divisio. Metropolia Mosquensis, nuper efformata (1448) alia via, sibi propria, processit. Cito independenter a Patriarchis Constantinopolis Metropolitae ejus institui coeperunt et tandem sub finem saeculi XVI (1589) ad Patriachatus dignitatem Sedes Metropolitana Mosquensis evecta fuit. Metropolia autem Kioviensis proprie dicta, de qua hic agimus, distinctos ab illis titularibus Metropolitas habens, Patriarchis Constantinopolitanis subiecta mansit, donec et ipsa sub finem saeculi XVI a Patriarchae Constantinopolitanus subjectione recessit, Patriarchae Romani auctoritatem agnoscens (1596).

Ne introductio nostra nimis protrahatur, historiam hujus Metropoliae in tres periodus subdivisimus, quas breviter enucleabimus.

* Usque ad saeculum XVII terminis Rus', Russia, fere exclusive designabantur illæ regiones Europæ Orientalis, quarum caput politicum et religiosum olim fuerat Kiovia, Kyjiv. Rus', Russia, periodo de qua agimus, sensu proprio nonnisi illas partes, quae deinde sub denominationibus Ucrainae et Alborussiae veniunt, significabat in oppositione ad partes septentrionales, quae olim Moscovia hodie Rossija vocatur. Proinde terminos Rus', Russia in hac dissertatione utimur sensu illo proprio, nisi per accidens aliquando et Rossijam hodiernam signifiet.

I. A CONVERSIONE REONI USQUE AD TARTARORUM INCURSIONEM (990-1240)

Christianismi initia historica in Regno Rus' alteram medietatem saeculi X attingunt,¹ officialis tamen ejus conversio ad Christi fidem, a Volodimiro, Magno Principe, ad finem ejusdem saeculi locum habuit. In Chronicis annus 988 ut annus baptismatis Kioviensium assignatur. Recentiores tamen investigationes nonnisi aestate anni 990, post captam civitatem Korsun in Crimea, id accidisse ostendunt.²

Alia quaestio, de qua hucusque disputant historiographi, respicit ipsam Metropoliam, ejus nempe initium ejusque primaevam conditionem juridicam.

1. Quoad initium institutionis hierarchiae fontes minime concordant. Nonnulli annales primum Metropolitam fuisse Michaelem (988-992) dant, dum alii initium a Metropolita Theopempt (1035-1047) repetunt.³ Unde et diversae auctorum sententiae, qui diversimode rem componere student.

E. Golubinskij⁴ tenet hierarchiam non statim post S. Volodimiri conversionem fundatam fuisse, sed tantummodo a Theopempt ortum ducere; contrariam sententiam inter alios sustinet T. Barsov.⁵ Difficultatem, quae oritur ex eo, quod in chronicis Volodimirus a Photio Patriarcha Metropolitam accepisse dicitur, hic auctor solvit affirmando, hic confundi baptismus Rus' sub ducibus Askold et Dyr cum baptimate temporibus Principis S. Volodimiri.⁶

Metropolita Eugenij (Bolkhovitinov) ex litteris Metropolitae Leontii contra Latinos, qui titulum dicit « Metropolita Perejaslavensis et Russus », et ex ipsa Chr. Niconis (sub anno 1091) affirmat Metropoliam quidem erectam jam fuisse temporibus Volodimiri, non tamen Kioviae, sed in Perejaslavl.⁷ Jaroslav vero, dictus Sapiens, filius Volodimiri, secundum eundem auctorem, a 1037 Kioviae tantummodo Ecclesiam construxit, in quam Metropolitae suam Sedem transtulerunt, unde titulum « Kioviensis » Metropolitae accepterunt.

¹ S. TOMAŠIVSKYJ, *Istorija Tserkvy na Ukrayini* (extractum ex « Analecta OSBM », IV, 1932), ed. Philadelphia, USA, p. 74.

² E. GOLUBINSKIJ, *Istorija Russkoj Tserkvy*, Mosquae 1901-1904, t. I, 1, p. 164; OHIJENKO I., *Ukrayinska Tserkva*, Praha 1942, p. 82.

³ BARSOV T., *Konstantinopolskij Patriarch i jeho vlast nad russkoju Tserkoviju*, S. Peterburg 1878, p. 369.

⁴ JMNPr, 1871, n. 190, p. 147.

⁵ BARSOV T., o.c., p. 355.

⁶ IBIDEM, p. 361-362.

⁷ EUHENIJ (Bolkhovitinov), *Opisanije Kijevosofijskago Sobora i Kijevskoi Jerarchiji*, Kijev 1825, pp. 64-65.

E. Likowski autem sat singularem proponit solutionem.⁸ Juxta Likowski Eparchia Kioviensis erecta fuit jam inde ab initio, i. e. a reditu Volodimiri e Korsun. A Jaroslao vero (a. 1035) Episcopatus hic evectus est ad dignitatem Metropoliae, cuius primus titularis fuit Metropolita Theopempt, ab urbe Constantinopoli missus, quartus in ordine inde ab Eparchiae fundatione.

2. Revera secundum Annales affirmari potest, quod Volodimirus e Korsun revertens, Episcopos, presbyteros et diaconos secum adduxit.⁹ Sed alia hic oritur quaestio: de horum hominum spiritualium nempe juridica origine. Auctores, qui Metropoliam erectam fuisse tenent inde ab initio conversionis Regni, eam Constantinopoli mediante Korsun pervenisse asserunt.¹⁰ Similiter et alii eam e Constantinopoli, sed immediate originem suam duxisse nobis significare videtur.¹¹

Tantummodo A. M. Ammann duplarem refert historiographorum sententiam de Episcoporum provenientia e Korsun, vel e Bulgaria.¹² S. Tomašivskyj adhaeret juxta eum opinioni probabiliori, de provenientia nempe hierarchiae e Bulgaria eamque independentem a Constantinopoli fuisse asserit¹³. E. Golubinskij vero ex eo quod in quibusdam fontibus praesul Kioviensis Archiepiscopi titulo condecoratur, affirmat haud inverosimile esse initio Metropoliam Kioviensem ut autocephalam constitutam fuisse et solummodo progressu temporis degradationem subiisse.¹⁴ S. Tomašivskyj in eo differt ab E. Golubinskij, quod initio Archieparchiam Kioviensem non a Byzantio, sed a Patriarcha Ochridensi et Apostolica Sede dependisse affirmat, et nonnisi post 50 circiter annos Jaroslaum, circumstantiis politicis motum, eam Byzantio subjecisse.¹⁵

Nobis tamen nec opus nec intentio est hanc controversiam solvere. Ut certum ab omnibus admittitur Metropoliam Kioviensem inde a Metropolita Theopempt (1037) Ecclesiae Constantinopolitanae subjectam fuisse. Inde ab hoc tempore et nos initium ducimus nostrae introductionis.

Commentatores graeci saeculi XII dependentiam Metropoliae Kioviensis a Constantinopoli in ultima parte can. 28 Chalced. fundari dicunt, cum « inter

⁸ LIKOWSKI E., *Historia Uniji Kowciola Ruskiego z Kościolem Rzymskim*, Poznan 1875, p. 12.

⁹ 4 Novhorod., in PSRL, t. IV (2 ed.), p. 90.

¹⁰ BARSOV T., *o.c.*, p. 348-349.

¹¹ AMMANN A. M., *Storia della Chiesa Russa...*, Torino 1948, p. 20 ss.; TOMAŠIVSKYJ S., *o.c.*, p. 94 ss.

¹² AMMANN A. M., *o.c.*, p. 14.

¹³ TOMAŠIVSKYJ S., *o.c.*, 94.

¹⁴ GOLUBINSKIJ E., *o.c.*, t. I, 1, p. 267 ss.

¹⁵ TOMAŠIVSKYJ S., *o.c.*, p. 89 ss.

barbaros » dioecesis Thraciae Russiam adnumerent.¹⁶ Quod vero nullus canonistarum Russiae admittit.

Ita T. Barsov non solum negat Ecclesiam Kiovensem dependisse a Constantinopoli virtute hujus canonis, sed insuper affirmat ejus dependentiam prorsus omni ratione juridica caruisse.¹⁷ Similiter etiam E. Golubinskij opinat.¹⁸ Dependentem tamen eam de facto fuisse, ait T. Barsov, unice ex circumstantiis historicis constat, inter quas primum et principalem locum obtinet factum illud, quos Rus' fidem accepit a Byzantio et — una cum fide — hierarchiam ecclesiasticam.¹⁹

Miratur vero A. Pavlov,²⁰ et recte quidem, in facto illo historico T. Barsov nullum fundamentum canonicum aspexisse. Hoc enim factum historicum, quod Rus' fidem et hierarchiam Constantinopoli acceperit nonne satis est ad explicandas statuendasque relationes Ecclesiae filiae ad Ecclesiam matrem et viceversa?

Apostoli Evangelium praedicabant in majoribus civitatibus, quae metropoles civiles vocabantur. Ab his civitatibus fides in propinquiores fines propagabatur, Episcopi instituebantur, semper tamen sub directione religiosa Metropolis manebant.

Hoc in primis dicit nos ad relationes in provincia ecclesiastica cognoscendas, i.e. probat quod episcopi tenebantur in dependentia a sua quaque Metropoli. Pariter tamen concludi potest, et has magnas urbes seu Metropoles connecti vinculo unionis et dependentiae ab illis, ex quibus et ipsae, per praedicationem doctrinae Christi, originem suam christianam duxerant; ex utraque enim parte eadem militat ratio. Consequenter, si byzantina hierarchia missa est in Rus' et ibi novam efformavit Ecclesiam, Ecclesia haec, utpote filialis, ab Ecclesia matre independens constitui non potuit.

Revera in ipsis initiihujus conversionis officialis Volodimirus Princeps cum quibusdam tantum proceribus baptizatus fuit. Proposita tamen sibi conversione sui populi e Korsun Episcopos et Presbyteros ad totum populum Kiovensem baptizandum secum adduxit. Saltem ii primi certe a Constantinopoli dependebant: graeci enim erant. Paulatim fides christiana dilatabatur, Episcopi constituebantur, donec efformata est Provincia Ecclesiastica, cum suo centro ecclesiastico in Kyjiv, quae simul erat centrum politicum. Sic efformata est Metropolia Kiovensis et inter suffraganeas Patriarchatus Con-

¹⁶ BALSAMON, in MIGNE, *P. G.* t. 137, col. 486; ZONARAS, *ibid.*, col. 490.

¹⁷ BARSOV T., *o.c.* p. 483, 446.

¹⁸ GOLUBINSKIJ E., *o.c.*, t. I, l, p. 259.

¹⁹ BARSOV T., *o.c.*, p. 446.

²⁰ PAVLOV A., *Teorija vostočnago papizma v novejšej russkoj literature kanoničeskago prava*, in «Pravoslavnoje Obozrenije», 1879 (V), p. 754.

stantinopolitani adnumerata, quae novissimum fere locum in earum catalogo accepit.²¹

Tamen novae hujus Metropolis aliae omnino erant conditiones ac ceterarum. Imprimis valde distabat a sua Ecclesia matre. Haec locorum distantia dum ex una parte eam ab immediata et accurata vigilantia Patriarchae liberabat, ex altera vero Metropolitis ipsis majorem libertatem in agendo relinquebat.²² Deinde, posita erat in territorio in rebus politicis a Byzantio omnino independenti, quare et Principes diversos habuit. Patriarcha fere nihil inconsulto Imperatore in Patriarchatu agebat cum ageretur de Metropolia Kiovensi ac semper quid senserint Capita ejusdem Status ut attenderet oportuit. Interea autem Principes Russiae non semper idem sentiebant ac Byzantini, unde et dissensiones aliquando exortae sunt. Hae dissensiones in duobus potissimum casibus, sub Jaroslao I (1051) et Izjaslao II (1147) manifestae sunt.

Nec oblivioni danda est illa unio potestatis imperialis cum ecclesiastica apud Byzantinos;²³ nam ex hac Imperatori tribuebatur non parva auctoritas et in rebus ecclesiasticis et consequenter Patriarcha ab ipso dependebat in munere suo obeundo. Imperatores autem centralisationi administrationis ecclesiasticae favebant, ut eo modo commoda sua politica magis magisque prosequi eis prae manibus esset. Illo tempore Metropolitae jam a Synodo endemousa eligebantur. E tribus electis unum confirmabat eumque consecrabat Patriarcha. Clarum est, quantum in hujusmodi electionibus, quae coram Imperatore fiebant, potestas Imperatoris influeret. Sic et Metropolitae Kiovenses constituebantur usque ad medium saeculum XIII. Ex hoc capite Imperatores byzantini et politicam dependentiam in Regnum Rus' extendere conabantur,²⁴ eo vel magis, cum viderint Rus' sub Jaroslao I magis ac magis fines suos dilatare: Unde et bellum anno 1043, ut videtur, ex praetentionibus politicis Byzantinorum originem suam duxit.²⁵

Post illud bellum perniciosum Jaroslav novum Metropolitam Constantinopoli petere debuit, et quidem ab ipso Imperatore, qui valde crudeliter sese gesserat cum captivis militibus russis; Metropolitam sibi omnino ignotum,

²¹ AMMANN A. M., *o.e.*, p. 20; TOMAŠIVSKYJ S., *o.e.*, p. 95.

²² FILARET (Gumilevskij), *Istoria Russkoj Tserkvi*, Cernigov 1862, t. I, p. 111; BARSOV T., *o.e.*, p. 371.

²³ « Nevozmozno chrystianam imit tserkov, no ne imit tsarja. Ibo tsarstvo i tserkov nachodjatsja v tesnom sojuze i obščeniji meždu soboju, i nevozmožno otdelyt' jich drug ot druga »; — RIB, VI, addit. n. 40, col. 274; cfr. SUVOROV N., *Učebnik tserkovnago prava*, ed. 5, Moskva 1913, p. 90.

²⁴ TOMAŠIVSKYJ S., *o.e.*, p. 96.

²⁵ AMMANN A. M., *o.e.*, p. 21.

qui, utpote graecus, fortasse nihil omitteret, quominus desideria Imperatoris, a quo in Metropoliam missus fuerat, fidelissime impleret.²⁶

Jaroslav I igitur anno 1051, sine recursu ad Patriarcham, Metropolitam Hilarionem institui iussit.²⁷ Nihil aliud referunt chronica praeterquam quod Episcopi jussu Jaroslai convenerunt, novum Metropolitam elegerunt eumque consecraverunt.

Alterum conamen Metropoliae Kioviensis a dependentia Constantinopolitana liberandae sub Izjaslao II anno 1147 accidit. De hoc facto abundanter extant Chronicorum adnotationes, proinde clarius eluent motiva, quibus Princeps movebatur, ac ipse modus institutionis satis notus est.

Anno nempe 1145 Metropolita Michaël (1130-1145) Constantinopolim se contulit,²⁸ quanam vero ratione disputant historiographi; fortasse sub influxu Principis Izjaslai II. Ante suum tamen discessum juramento Episcopos obligavit, ne eo absente sibi eligerent Metropolitam.²⁹ Izjaslaus tamen Episcopos convocavit,³⁰ qui monachum Clementem in Metropolitam elegerunt. Duo tantum ex Episcopis praesentibus, Niphont nempe Novhorodensis et Manuel Smolensensis, origine graeci et a Michaële Metropolita instituti, electioni novi Metropolitae obstarunt, jus Patriarchae Constantinopolitani Metropolis Kiovienses instituendi defendentes.³¹ Clemens tamen a ceteris Episcopis consecratus est impositione reliquiarum ex capite S. Clementis, Papae.

Jaroslaus I in instituendo Hilarione³² motivis politicis potius movebatur, dum Izjaslaus II liberandi Kioviam a subjectione Patriarchae desiderio unice ducebatur. Utrumque tamen eventum commune hoc habet, quod Metropolitam suum non permiserunt a Patriarcha cum Imperatore eligi et Kioviam mitti, sed eligi curaverunt ecclesiasticum virum e suis propriis subditis.³³ Haec duo conamina independentiam assequendi a posterioribus generationi-

²⁶ Utrum Metropolita Theopempt manserit Koviae, perdurante illo bello an non, incertum est. Si ibidem mansit, probabiliter ejus conversatio non fuit favorabilis Jaroslao, unde nonnulli auctores et hoc inter rationes conaminis a Constantinopoli sese liberandi adnumerant. — LYŽLOV, *Otnošenije drevne-russkago obščestva k tserkvi v period domongolskij*, in «Vestnik Jugo-Zapadnoj i Zapadnoj Rossiji», 1863 (XII), otd. 2, p. 117.

²⁷ «Postavy Jaroslav Lariona mytropolytom Rusyna v sv. Sophiji sobrav epyskopy»; — *Chr. Nestoris*, in PSRL., t. I, p. 67.

²⁸ IBIDEM, p. 136.

²⁹ AMMANN A. M., *o.c.*, p. 34.

³⁰ Secundum *Chronica Nestoris* aderant 6 Episcopi (PSRL, I, 137); *Ipatijevska* autem enumerat 7 (PSRL., II, 30).

³¹ *Ipatijevska*, PSRL., t. II, p. 30.

³² MARKEVYČ G., *Vyborne načalo v duchovenstve v drevne-russkoj preimuščestvenno jugo-zapadnoj Tserkvi do reformy Petra*, in TKDA, 1871, III, (VIII), p. 247; *Fontes*, ser. I, fasc. XI, p. 545, n. 432.

³³ SUVOROV N., *Kurs tserkovnago prava*, Jaroslavl 1889-1890, t. I, p. 128, nota 2.

bus ut factum praecedens considerabantur. Episcopi Lithuaniae initio saeculi XV Metropolitam Gregorium Tsamvlak sibi eligentes non solum ad exemplum Serborum et Bulgarorum sese appellabant, sed etiam ad haec duo facta ex historia propiae Metropoliae.³⁴ Mosquensis Princeps Basilius Vasilevič a. 1441 petens a Patriarcha, propter speciales rationes, ut Episcopis suis concederet liberam Metropolitae electionem, petitionem suam corroborare non omisit revocatione in memoriam duplicitis hujus eventi.³⁵ Similiter et Metropolita Mosquensis Jonas (1448) Principi Kioviensi Alexandro Volodymirovič suam institutionem notificans dixit, se exemplo illorum institutum fuisse, ob aliam tamen rationem: illi enim ob dissensionem Principum Russiae cum Graecis, se autem unice ob perturbationes in Sede Patriarchali³⁶ independenter a Byzantio institutum fuisse.

Nihilominus duo haec conamina exitu duraturo coronata non fuerunt. Sicuti successores Jaroslai (1019-1054), ita etiam Izjaslai (1146-1149, 1150, 1150-1154) exemplum datum et opus incoepturn continuare nesciverunt, eo vel magis, quod et politica Regni divisio ejusque decadentia ulterioribus conaminibus obstabant. Metropolitae igitur usque ad annum 1240 Constantinopoli mittebantur,³⁷ et quidem exclusive origine graeci, Imperatoris Byzantini subditi.

De Metropolitis hujus periodi paucae tantummodo notitiae habentur. Generatim tantum annus eorum adventus et institutionis nec non decessus traditur; praeterea graeca eorum origo significatur.³⁸

* * *

II. AB INCURSIONE TARTARORUM (1240) USQUE AD CONC. FLORENTINUM.

Secunda periodus historiae Metropoliae Kioviensis (1439) per duo protrahit saecula, incipiendo ab eventu luctuoso politico, ad eventum illum spei plenum, quod in civitate Florentina locum habuit.

1. Incursio Tartarorum et Kioviae destructio magni momenti in historia Metropoliae Kioviensis signat mutationem, quoniam ab illo tempore etiam candidati russici, etsi non exclusive, ad Sedem Kioviensem admittuntur. Praeterea etiam Patriarcharum Constantinopolitanorum Niceae commoratio (1204-1261), necnon aliae causae minores, influxum haud parvum in hanc mutationem exercuerunt.

³⁴ RIB, VI, n. 38, col. 311-312; AkZR., I, n. 24, p. 34.

³⁵ IBIDEM, n. 62, col. 536.

³⁶ IBIDEM., n. 66, col. 560.

³⁷ TOMAŠIVSKYJ S., o.c., p. 102, 156, ss.

³⁸ AMMANN A. M., o.c., p. 48.

Metropolita graecus Josephus (ab anno 1237) tempore incursionis Taratarorum vita functus est. Huic in devastata Sede successit Cyrilus II (1246), ex Volhynia, a Daniele, Principe Haliciensi, Niceam missus, ubi a Patriarcha Emanuele III (1244-1255) institutionem accepit.³⁹ Vir magnae erat activitatis et zeli, disciplinam collapsam restaurandam curavit, ad quem finem obtinendum Synodus Volodimiriensem celebravit (1274). Mortuo Cyrillo II (1281), in ejus successorem consecratus est Constantinopoli Maximus, graecus natione, qui Sedem Metropolitanam anno 1299 Kioviam Vladimiriam, ad flumen Klazma, in Moscovia, transtulit.⁴⁰

Ejus tamen successor, Metropolita Petrus, ex Volhynia, juxta desiderium Principis Moscoviae Sedem Metropolitanam in urbe Mosqua a. 1325 stabilit. ⁴¹ Metropolitae tamen titulo « Kioviensis totiusque Russiae » adhuc condecorabantur, quamvis Kioviam per Vicarios tantummodo administrabant. Petro iterum graecus Theognostus (1328-1353) successit. Alexius Theognostum, aetate proiectum, strenue adjuvans Kioviam administrabat. Metropolita ut viam Theodoreto ad successionem in Sede Kioviensi paecluderet, Alexium Episcopum Vladimiriensem consecravit, cum jure successionis in Metropolia,⁴² quam causam enixe Patriarchae commendabat.⁴³ Inde Alexius longum per tempus Costantinopoli in probatione (« ispytanije ») mansit,⁴⁴ usquedum consecratus est Metropolita Kioviensis a Patriarcha Philoteo (1354-1355), ea clausula adjecta, ut sit ultimus ex indigenis ad dignitatem hujusmodi eiectus.⁴⁵ Sedis metropolitanae Vladimiriensem translatio, quae de facto jam ante dimidium saeculum evenit, sub Metropolita Alexio (a. 1354) formaliter actu Patriarchae Philotei comprobata est.⁴⁶ Metropolitae tamen illegitime in Mosqua manere pergebant, sicut et antea Vladimiriae.

Vivente adhuc Alexio Metropolita, Cyprianus, qui missus erat in Rus' ad controversiam de limitibus Metropoliarum Kioviensis et Lithuaniae, inter Alexium et Romanum exortam, in loco examinandam,⁴⁷ Costantinopoli consecratus est in Sedem Kioviensem ita, ut et Mosquensem post mortem Metr. Alexii obtineret.⁴⁸ Mortuo Alexio (1378) Demetrius, Princeps Moscoviae, Cyprianum non admisit, sed suum candidatum Michaëlem Constantinopolim pro-

³⁹ IBIDEM, p. 50.

⁴⁰ Chr. *Troitskaja*, PSRL, I, p. 228; *Nestoris*, ibid., p. 208; *Niconis*, ibid., t. X, p. 172.

⁴¹ Chr. *Niconis*, l.c., p. 190.

⁴² AMMANN A. M., o.c., p. 82.

⁴³ RIB, VI, addit. n. 9, col. 44; n. 12, col. 66.

⁴⁴ IBIDEM, n. 9, col. 44.

⁴⁵ a. 1354; — IBIDEM, col. 46.

⁴⁶ IBIDEM, n. 12, col. 63-70.

⁴⁷ IBIDEM, n. 14, col. 86, ss.; n. 30, col. 170.

⁴⁸ IBIDEM, n. 30, col. 172.

ficisci jussit.⁴⁹ Michaël tamen Constantinopolim iter faciens obiit, et qui cum eo comites erant elegerunt inter se novum candidatum Pimenum, qui falsificatis litteris commendatitiis, Michaëli datis, institutionem in Metropoliam obtinuit.⁵⁰ Sed Princeps Moscoviae Pimenum in carcerem detrusit, Cypriani autem ut legitimum agnovit.⁵¹ Post breve tamen tempus et ipse Cyprianus e Mosqua pulsus est, Pimen autem restitutus.

Interea Dionysius, Episcopus Suzdalensis, gratiam apud Principem sibi promeruit et praesentatus fuit Patriarchae ut candidatus Principis.⁵² Patriarcha Nilus (1380-1388) a Dionysio de statu rerum bene instructus, Pimenum in judicium citavit, Dionysium autem instituit. Quando Dionysius Kioviae in carcerem fuit detrusus, Cyprianus Constantinopolim citatus coram Patriarcha se sistere debuit. Tria tamen eum juvabant: 1. Mors Metropolitae Dionysii a. 1385; 2. mors Patriarchae Constantinopolitani Nili, cui successit Antonius IV (1389-1390), qui Pimenum depositus, Cyprianum autem uti legitimum Metropolitanam Koviensem totiusque Russiae agnovit⁵³ et demun 3. mors Demetrii, Principis Moscoviae, qui etiam Cypriano adversabatur. Cyprianus igitur ut unicus Metropolita Koviensis Sedem Mosquensem inde ab anno 1390 occupabat.⁵⁴

Post mortem Cypriani (1406) Vitoldus (1392-1429), Magnus Dux Lithuaniae, Theodosium, ep. Polocensem, in Metropoliam proposuit, Pat iarcha tamen suum candidatum Photium (1408-1431) in Metropolitanam Sedem Koviensem misit.⁵⁵ Paulo post idem Vitoldus, ob Photii continuam Mosquae mansionem necnon ejus avaritiam,⁵⁶ in Metropolitanam Koviensem Gregorium Tsamvlak eligi fecit (a. 1415), cui omnes Episcopi Lithuaniae oboedientiam usque ad ejus mortem praestabant. Postea, ab a. 1420, Photius iterum potestatem Metropolitanam in tota hac provincia ecclesiastica exercebat.⁵⁷ Mortuo Photio (1431), Vitoldi successor Svydryhajlo misit Constantinopolim Gerasimum, Mosquensis vero Princeps - Jonam. Gerasimus institutionem obtinuit, quamvis Sedem numquam occupaverit, Jonas autem rejectus est, et tandem anno 1437 candidatus Patriarchae Isidorus, graecus, a Patriarcha Joseph II (1416-1439) missus est ad Sedem Metropolitanam Koviensem,⁵⁸

⁴⁹ IBIDEM, n. 33, col. 206.

⁵⁰ IBIDEM, n. 33, col. 208.

⁵¹ IBIDEM, n. 33, col. 210.

⁵² IBIDEM, n. 33, col. 210-212.

⁵³ Febr. 1389; — IBIDEM, n. 33, col. 224.

⁵⁴ AMMANN A. M., *o.c.*, p. 89-90.

⁵⁵ AKZR., I, n. 25, p. 36; RIB, VI, addit. n. 39, col. 329.

⁵⁶ AKZR., I, n. 25, p. 36; RIB, VI, addit. n. 38, col. 37-314; addit. ad Chr. Ipat., PSRL, II, 353.

⁵⁷ RIB, VI, addit. n. 49, col. 419-422.

⁵⁸ AMMANN A. M., *o.c.*, p. 121; RIB, VI, n. 62, col. 529-53.

cujuſ nomen ſua activitate ecclesiastica in Conc. Florentino necnon purpura Romana clarum evaſit.

2. Hac historiae periodo originem habuit Metropolia Haliciensis, a Kioviensi separata, cujuſ erectioni Metropoliae Kioviensis Vladimiriam translatio cauſam praebuit. Quamvis notitia de Haliciensi Metropolia jam exeunte saeculo XIII⁵⁹ habeantur, communius tamen ejus erectio ab Imperatore byzantino Andronico II (1282-1328), initio saeculi XIV, statuitur.⁶⁰ Post mortem primi Metropolitae Haliciensis Niphontis (1305), Petrus, a Georgio I, Principe Haliciensi, Constantinopolim missus, non amplius institutus est tantum pro Haliciensi, sed pro Kioviensi quoque Metropolia. Considerabatur tamen ut Haliciensis.⁶¹

Sed jam anno 1328 Metropolia Haliciensis, ut videtur, titularem ſuum non amplius habuit, quia Theognostus, Metropolita Kioviensis, pro illa Sede consecravit Theodorum,⁶² qui post quatuor annos (1332) una cum aliis partem habuit in electione Episcopi Cernyhoviensis Pauli.⁶³ Iterum tamen renovata fuit haec Metropolia a. 1338 a Patriarcha Constantinopolitano Joanne XIV Kalekas (1334-1347), qui in Metropoliam Theodorum, a Theognoto a. 1328 consecratum, instituit.⁶⁴ Sed Metropolia ipsa non longe duravit, quia anno 1347 Princeps Mosquensis Simeon, pingui eleemosyna Imperatori Joanni VI Kantakuzeno oblata,⁶⁵ chrisobullam, qua Metropolia Haliciensis supprimitur, obtinuit,⁶⁶ quae bulla decreto synodali a Patriarcha Isidoro eodem anno confirmata fuit.⁶⁷ Sic Metropolia Haliciensis ad Kioviensem incorporata finem ſuum habuit.

Cum tamen Principatus Haliciae jure bellico sub Poloniae dominium transiſſet (1366), Casimirus, Poloniae rex, Metropoliam iterum restaurandam curavit. Anno 1370 Constantinopolim ſuum candidatum Antonium misit et a Patriarcha Philotheo (1364-1376), sub comminatione, in caſu negationis, ſe velle russos in latinam fidem baptizare, petivit⁶⁸ atque obtinuit⁶⁹ Antonii institutionem.

⁵⁹ PETRUŠEVYČ A., *O halytských єпіскопіч so vremenу učreždenija halytskoj eparhiji daže do kontsa XIII v.*, p. 85, 191.

⁶⁰ AMMANN A. M., *o.c.*, p. 77.

⁶¹ RIB, VI, addit., n. 22, col. 126.

⁶² RIB, VI, Suppl., n. 7 (2), col. 432.

⁶³ IBIDEM, col. 436.

⁶⁴ AMMANN A. M., *o.c.*, p. 77.

⁶⁵ IBIDEM, p. 78.

⁶⁶ RIB, VI, addit. n. 3, col. 13-20.

⁶⁷ IBIDEM, n. 7, col. 33-40.

⁶⁸ IBIDEM, n. 22, col. 125-128.

⁶⁹ a. 1371; — IBIDEM, n. 23, col. 129-134.

Inter rationes Casimirum ad restaurandam Metropoliam Haliciensem motentes (idem etiam de Vitoldo - 1415 - dicitur) generatim illa tantum traditur, quod ipse noluit, ut pars ejus territorii a Metropolitano qui alias Principis subditus esset, dependeret. Certe, haec causa politica influxum suum exercuit. Accedit tamen et alia non minoris momenti causa, quae ab auctoribus numquam traditur, nempe ratio ecclesiastica: negligentia Metropolitae in visitatione Eparchiarum peragenda. Haec nomine proprio a Casimiro innuitur⁷⁰ et clare a Vitoldo significatur, qui aperte conqueritur, quod Photius nonnisi ad bona dilapidanda in partes occidentales Metropoliae venit.⁷¹

Notandum quoque, in decreto synodali Patriarchae Philotei novo Metropolitae Haliciensi Antonio quatuor Eparchiae adscribi: Chelmensis nempe, Turoviensis, Peremysliensis et Volodimiriensis,⁷² dum in litteris ejusdem Patriarchae ad Metropolitam Alexium eadem recensentur, excepta Turoviensi.⁷³ Differentia haec lapsu calami explicari potest vel inadvertentia, sed probabiliiter Turoviensis Eparchia consulto praetermissa fuit a Patriarcha, ob timorem ne Metropolitam Alexium a se averteret, nam post enumerationem trium illarum Eparchiarum addit: « scias, quod nihil amplius ei concessimus, nec Luceoriensem, nec quamcumque aliam Eparchiam... scio, quod haec tibi minime placebunt, non potui tamen aliter statuere ».⁷⁴

Antonius Sedem Haliciensem usque ad annum 1391 occupavit. Quo vivente, Patriarcha Constantinopolitanus Antonius IV (1391-1397) Simeonem monachum designavit, quippe qui post mortem Metropolitae Antonii Metropoliam administraret, donec alias Metropolita institueretur.⁷⁵ Mortuo Antonio (1391), Jagello, Rex Poloniae et Magnus Dux Lithuaniae, in ejus successorem, Joannem, Episcopum Luceoriensem, nominavit, qui tamen confirmationem a Patriarcha nunquam obtinuit: immo judicari debuit ob illegitimam Metropoliae possessionem.⁷⁶ Sic anno 1397 Metropolita Haliciensis nondum institutus erat ut ex pollicitatione ejusdem Joannis, Jagello facta, constat, scilicet se ei datum magnam remunerationem, dummodo ipsum adjuvaret in consequenda dignitate metropolitana.⁷⁷ Probabiliter Joannes mortuus est Haliciensi Metropolia nondum obtenta. Ceterum, inde ab hoc tempore nullus amplius fit sermo de Metropolia Haliciensi. Deinde vero, ab initio saeculi XVI, Halicien-

⁷⁰ IBIDEM, n. 22, col. 125 ss.; n. 25, col. 141-148.

⁷¹ IBIDEM, n. 38, col. 309-314.

⁷² IBIDEM, n. 23, col. 132.

⁷³ IBIDEM, n. 25, col. 146.

⁷⁴ IBIDEM.

⁷⁵ IBIDEM, n. 35, I, col. 230.

⁷⁶ IBIDEM, n. 44, col. 302.

⁷⁷ AkZR., I, n. 12, p. 27.

sis titulus a Metropolitis Kioviensibus assumptus est.⁷⁸ Administrabatur autem a Vicariis, generatim Archimandritis, donec a. 1539 una cum Leopoli et Kamenece Podoliae unam Eparchiam efformavit, cuius tamen Titularis Haliciensem Sedem tantum ut Vicarius Metropolitae Kioviensis regebat.⁷⁹

3. Aliquot annis post erectionem Haliciensis Metropoliae, erecta fuit in Novogrodek et alia Metropolia, Lithuaniae nempe, a Kioviensi independens.⁸⁰ Primus Metropolita Lithuaniae, cuius nomen ignotum manet, Synodo Constantinopolitanae anno 1317 interfuit.⁸¹ Ei in Sede Metropolita Theophilus successit, qui etiam in Synodo Constantinopolitana annis 1327 et 1329 interfuit,⁸² cuius post mortem (1330) Metropolia Lithuania existere desiit.

Olgerdus, Magnus Dux Lithuaniae, post aliquot annos iterum Metropoliam propriam habere expertus est. Dum nempe Metropolita Kioviensis Theognostus aegrotabat, monachus quidam Theodoreetus missus est ab Olgerdo, anno 1352, Constantinopolim ad consecrationem accipendam.⁸³ Repulsus a Patriarcha Constantinopolitano, contulit se Tyrnaviam in Bulgaria (Trnovo), ubi a Patriarcha Bulgariae Euthymio consecratus est Metropolita. Ad praeveniendam Metropoliae Kioviensis divisionem, Metropolita Theognostus sua ex parte consecravit Vicarium suum Alexium Vladimiriensem cum jure successionis in Metropolia Kioviensi.⁸⁴

Quando Alexius a. 1354 Constantinopoli commorabatur, etiam Romanus, ab Olgerd missus, ibi apparuit. Ambo Metropolitae consecrati sunt;⁸⁵ sed postquam ipsi domum reversi sunt inter se acriter contenderunt, ut jurisdictionem propriam in totam Metropoliam Kioviensem extenderent. Synodus igitur Constantinopolitana a. 1355, in qua etiam hi duo Metropolitae interfuerunt, Romano titulum «Metropolitae Lithuani» concessit, eique partem Russiae occidentalem adscripsit, Eparchias nempe Polocensem, Turoviensem, Novhorodensem et Episcopatus «Russiae minoris»,⁸⁶ Alexio vero reliquas Eparchias assignavit.⁸⁷

Pax tamen inter eos non longa fuit. Romanus nempe iurisdictionem suam

⁷⁸ AMMANN A.M., *o.c.*, p. 166; cfr. de titulo Metropolitae in ultimo capite hujus dissertationis.

⁷⁹ Cfr. caput III, art. 2 hujus dissert.

⁸⁰ AMMANN A.M., *o.c.*, p. 79.

⁸¹ MIKLOSICH-MÜLLER, *Acta Patriarchatus Constantinopolitani*, Vindobounae 1860-1862, t. I, p. 72.

⁸² IBIDEM, p. 143, 147.

⁸³ RIB, VI, addit. n. 11, col. 62.

⁸⁴ AMMANN A.M., *o.c.*, p. 82.

⁸⁵ RIB, VI, addit. n. 13, col. 72.

⁸⁶ IBIDEM, col. 76.

⁸⁷ AMMANN A.M., *o.c.*, p. 83.

in Kioviam et deinde in Brjansk extendere totis viribus cum conaretur, ex querela Metropolitae Alexii missus est exarcha Patriarchalis, Metropolita Kolčynskyj, una cun diacono Georgio Perdyca, ut controversiam inter Metropolitas examinaret et Patriarchae referret ad eam dirimendam.⁸⁹ At Romanus, interea, anno 1361 obiit et Metropolia Lithuaniae decreto Patriarchae Callisti I (II; 1355-1363) Kioviensi iterum adnexa est, quodque decreto etiam ejus successor Patr. Philotheus a. 1364 confirmavit.⁹⁰ Ita in manibus Metropolitae Alexii tota antiqua Metropolia Kioviensis unita est.

Metr. Alexius tamen partem suae Metropoliae Lithuaniae non visitabat,⁹¹ ob timorem Principum Lithuaniae, quia cum esset semper deditissimus Magno Duci Moscoviae, necessario adversari debuit inimico ejus, Magno Duci Lithuaniae.⁹² Quam ob rem Olgerd, haud longa mora interposita, apud Patriarcham instabat Philotheum, ut Lithuaniae Metropoliam restauraret.⁹³ Revera Cyprianum obtinuit (2. XII. 1371), qui consecratus fuit in Metropoliam Kioviensem totiusque Russiae cum jure successionis etiam in Mosquensem Sedem, post mortem Metropolitae Alexii.⁹⁴ Inde initium habuit contentio de Sede Kioviensi, de qua jam supra egimus.

* * *

III. A CONCILIO FLORENTINO (1439) USQUE AD UNIONEM BERESTENSEM (1596).

Superius jam vidimus quod Jonas post mortem Photii (1431) a Principe Mosquensi in Metropoliam praesentatus, a Patriarcha Josepho II (1416-1439) non fuit institutus, sed loco ejus Isidorus Sedem Kioviensem obtinuit (1436). Causa ex parte fuit ipsius Patriarchae, qui de Unione cum Roma cogitans in Metropolia Kioviensi faventem huic cause titularem habere voluit.⁹⁵

Isidorus revera decretum Unionis subscrispsit (6. VII. 1439) et dignitate cardinalitia insignitus,⁹⁶ in Rus' reversus est Unionem praedicans. Cum venisset Mosquam et celebrata Liturgia Bullam Unionis perlegisset, a Principe Mosquensi Basilio Vasilevič in carcerem detrusus fuit. Magnus Dux Mo-

⁸⁹ RIB, VI, addit. n. 13, col. 78.

⁹⁰ IBIDEM, n. 14, col. 85-92.

⁹¹ IBIDEM, n. 15, col. 91-98.

⁹² RIB, VI, addit. n. 33, col. 200.

⁹³ IBIDEM, n. 20, 21.

⁹⁴ a. 1371: « daj nam druhaho mytropolyta na Kijev, Smolensk, Tver, Maluju Rus', Novosyl, Nyžnyj Novhorod »; RIB, VI, addit. n. 24, col. 140.

⁹⁵ IBIDEM, n. 30, col. 172.

⁹⁶ AMMANN A.M., o.c., p. 121.

⁹⁷ 17. XII. 1439. THEINER A., *Vetera Monumenta Poloniae et Lithuaniae*, t. II, Romae 1861, n. 51, p. 41.

scoviae interea Constantinopoli veritatem de Concilio expostulare voluit.⁹⁷ Isidorus feliciter carcerem effugiens, sese contulit ad Tveriensem Principem, a quo denuo incarceratus fugam tamen petiit, et in Lithuania exceptus, tandem Romanum reversus est. Ex Italia a Papa Eugenio IV (1431-1447) missus est Constantinopolim (1443), unde anno 1448 iterum Romanum rediit.⁹⁸

Redacto Metropolita Isidoro in carcerem, Princeps Moscoviae Synodus Episcoporum convocavit ad « novitates ab Isidoro allatas revidendas ».⁹⁹ Adsunt litterae ejusdem Principis ad Patriarcham Metrophanem (1440-1443) directae, quae probabiliter missae non fuerunt.¹⁰⁰ In his litteris Basilius petitivit, ut Patriarcha, propter nimiam distantiam necnon incursionem Mongolorum et perturbationes in finitimis regionibus, consentiret in electionem novi Metropolitae apud se faciendam.¹⁰¹ Ex sua autem parte promisit se mansurum in Unione cum Patriarchatu quoisque, Deo favente, Principatus ipsius extiterit.¹⁰²

Anno 1448 Princeps Basilius in Metropolitam Jonam, episcopum Rjazanensem, nominavit, qui inde ab anno 1432 dignitatem hanc consequi studuerat.

Jonas a solis Episcopis Moscoviae institutus est Metropolita virtute pollicitationis patriarchalis,¹⁰³ si quae extitit, quando anno 1436 institutionem non habuit a Patriarcha Joseph II (1416-1439) eo, quod Isidorus eum antecessit.¹⁰⁴

Sic de facto erecta fuit Metropolia Mosquensis, cuius Episcopi non solum a subiectione Metropolitae Kioviensis declinavere, sed etiam ab Ecclesia matre Constantinopolitana sese separaverunt. Novae Metropoliae Mosquensis primus titularis Jonas cito a Casimiro IV, Lithuaniae Duce, formale decretum executionis jurisdictionis in toto suo Principatu Lithuano obtinuit, Kiovia non exclusa.¹⁰⁵ Unde et titulum « Metropolitae Kioviensis totiusque Russiae » Jonas sibi assumpsit eoque usque ad mortem suam usus est, immo et Haliciensem Sedem (olim Metropolitanam) sibi subjicere tentavit.¹⁰⁶

At brevis Jonae triumphus. Papa Callistus III (1453-1458) sub fine vitae

⁹⁷ RIB, VI, n. 85, col. 638; n. 87, col. 654.

⁹⁸ AMMANN A.M., *o.c.*, pp. 124-5.

⁹⁹ RIB, VI, n. 62, col. 534.

¹⁰⁰ IBIDEM, n. 71, col. 583-584.

¹⁰¹ IBIDEM, n. 62, col. 535.

¹⁰² IBIDEM, col. 536.

¹⁰³ IBIDEM, n. 64, col. 540; n. 71, col. 583-584.

¹⁰⁴ IBIDEM, n. 66, col. 561.

¹⁰⁵ 31. I. 1451; - IBIDEM, n. 67, col. 563-566.

¹⁰⁶ IBIDEM, n. 68, III, col. 568-570.

suae Ecclesiam Russiae in duas partes divisit: illam, quae in territorio schismatis Magni Ducis Moscoviae inveniebatur, et alteram, quae in ditionibus catholici Poloniae Regis Casimiri extendebatur.¹⁰⁷

Dioecesum, quae in Ducatu Moscovitico inveniebantur, Metropolita tantummodo de facto titularis permansit Isidorus (hac de causa sine possibilitate et obligatione residentiae) et Pontifex Romanus Callixtus III • Jonam praedictum et quemlibet alium ipsius successorem ejusdem Ecclesiae et partium praedictarum detentorem sententialiter amovit».¹⁰⁸ Partibus vero, quae sub Poloniae dominio erant, Isidorus se abdicavit in favorem Gregorii II, qui ab eodem Papa Callixto III, duodecimo kal. augusti, pontificatus ejus anno quarto (1458), institutionem accepit cum assignatione sibi dioecesum Kyjiv-Sedes, Brjansk, Smolensk, Polock, Volodymyr, Peremyšl, Cholm et Halyč. Ibi Metropolita Gregorius residere potuit et brevi ad suam Sedem se contulit. Cum autem Papa Callixtus III «litreris apostolicis super provisione hujusmodi non confectis» obiisset, ejus successor Papa Pius II (1458-1464) voluit, ut «quod a praedecessore praedicto actum extitit, plenum sortiatur effectum», eidem Gregorio II tertio nonas septembbris (1458) mandavit, ut iugum domini suis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem in praedicta Metropolia exercere studebet.¹⁰⁹

Gregorius II itaque, a Patriarcha Gregorio Mammas consecratus,¹¹⁰ se contulit ad Sedem sibi assignatam. Casimirus Rex non solum ipse eum benevole exceptit, sed etiam apud Ducem Moscoviae Gregorium commendavit adhortatusque est, ut et ipse, Jona rejecto, eum agnosceret.¹¹¹

Interea Jonas, cum audivisset de adventu Gregorii, et eo magis, cum de quorumdam Episcoporum adhaesione Gregorio certior factus esset, litteras circulares ad omnes Episcopos dedit, eos in fide perseverare adhortans eosque obsecrans ne Gregorium agnoscerent.¹¹² Quare statim quinque Russiae Moscovitae Episcopi fidelitatem suam communibus epistulis ei significaverunt,¹¹³ et aliis praeterea, die 13. XII. 1459 datis, Episcopos Lithuaniae: Cernyho-vensem-Brjansensem Euthymium, Polocensem Callixtum, Smolensensem Misaëlem, Volodimiriensem Nicephorum, Turovo-Pinsensem Joachim et Lu-

¹⁰⁷ «Or. Chr. Per.», XII (1946), n. 3-4, p. 230 ss.

¹⁰⁸ Bulla Pii II de institutione Gregorii II, in «Or. Chr. Per.», XII (1946), n. 3-4, p. 232.

¹⁰⁹ IBIDEM, p. 231.

¹¹⁰ IBIDEM, p. 232.

¹¹¹ AMMANN A. M., o.c., p. 134.

¹¹² RIB, VI, n. 87, col. 655; n. 88, I, col. 662; n. 88, II, col. 668.

¹¹³ IBIDEM, n. 81, col. 623.

¹¹⁴ a. 1458-1459; - IBIDEM, n. 81, col. 621 ss.

¹¹⁵ IBIDEM, n. 83, col. 627-632.

ceoriensem Martinum cohortati sunt, ut et ipsi similiter facerent.¹¹⁶ Frustra tamen schismatici conati sunt auctoritatem novi Metropolitae minuere. Namque a Gregorii II adventu omnes Episcopi in Regno Poloniae-Lithuaniae, praeter Brjansensem et Smolensensem, et post annum 1461 etiam iste, eum ut suum Metropolitam agnoverunt.¹¹⁷ Eo vel magis, quod Metropolita Gregorius ob institutionem a Patriarcha acceptam omni exceptione maior inveniebatur.¹¹⁸ Patriarcha tamen Simeon (1466), qui Sedem Patriarchalem post Gregorium Mammas obtinuerat, Gregorium in dignitate confirmare noluit, sed ejus successor Patriarcha Dyonisius (1466-1471) in Metropolia Kioviensi totiusque Russiae Gregorium II confirmavit,¹¹⁹ immo et Principi Mosquensi Joanni Vasilevič eum commendavit.¹²⁰

Divisio Metropoliae Kioviensis, quae jam abhinc multos annos praeparabatur,¹²¹ de facto a. 1448 institutione Jona in Metropolitam Mosquensem, formaliter autem a. 1458, Bulla Papae Pii II, effecta est. Metropolia Moscoviae, quae inde existere cepit,¹²² sub finem saeculi XVI (a. 1589) ad dignitatem patriarchalem evecta fuit. Metropolia Kioviensis historiam suam quinque fere saeculorum decursu prosequens etiam in posterum Patriarchis Constantinopolitanis subjecta mansit, qui post Concilium Florentinum catholici erant sicut et ipsa. Etsi Patriarchae brevi iterum in schisma relapsi sint, Kiovia tamen per longum tempus Unioni fidelis permansit, tandem et ipsa eorum exempla secuta ad schisma, sine ullo formalī actu, paulatim descivit, donec novam Unionem cum Ecclesiis Romana, sic dictam Berestensem celebravit (1596). De hac ergo Metropolia nobis agendum venit.

Successor Gregorii II († 1472) in Metropolia Kioviensi totiusque Russiae fuit iste Misaël Prutskyj (1475-1480), qui, a Jona in Episcopum Smolensensem institutus (1454), ultimus ex Episcopis Lithuaniae ad annum circa 1461 Gregorium suum Metropolitam agnovit.¹²³ Hic Metropolita Misaël, fidelis Unioni Florentiae celebratae, una cum duobus Archimadritis et multis Nobilibus

¹¹⁶ IBIDEM, n. 84, col. 631-634.

¹¹⁷ AMMANN A.M., o.c., p. 133, 156.

¹¹⁸ IBIDEM, p. 157.

¹¹⁹ GIANNELLI C., *A propos de la confirmation du Métropolite de Kiev Joseph Bolkharynovyč par le Patriarche œcuménique Joachim I*, in « Or. Chr. Per. », IX (1943), n. 3-4, p. 452.

¹²⁰ a. 1465 Magnus Dux Joannes scripsit Episcopo Novhorodensi, ne legatos Patriarchae reciperet vel ipsius Gregorii, subjectionem ejus novo Metropolitas expostulantes. - RIB, VI, n. 100, col. 710.

¹²¹ SOKOLOV P., *Russkij Archierej iz Vizantiji i pravo jeho naznačenija do načala XV v.*, Kijev 1913, p. 273.

¹²² WELYKYJ A., OSBM. - « Analecta OSBM », ser. II, sect. II, vol. I (1950), p. 401.

¹²³ AMMANN A.M., o.c., p. 156.

litteras scripsit ad Papam Sextum IV (1471-1484), obedientiam suam ei ut Capiti totius Cristianitatis protestans.¹²⁴ Nihil mirandum igitur, quod Patriarcha Raphaël (1474-1477) in ejus locum Spiridonem quendam in Metropoliam mittere tentaverit.¹²⁵

Ei in Sede Metropolitana successit Simeon (1481-1488), ep. Polocensis, a Casimiro nominatus et a Patriarcha Maximo III (1477-1481) institutus.¹²⁶ Casimirus tamen ob bellum cum Moscovitis gestum et ob Olekovič Kioviensis rebellionem, opinionem suam de Unione mutavit, quod Unioni quam maxime nocuit, quae consequenter imminui coepit.

Simeoni successit Jonas Hlezna (1488-1494) et huic Macarius (1495-1497) Metropolita Joseph Bolharynovyč (1498-1501), ab Alexandro Lithuaniae Duce nominatus (30. V. 1498), obtenta confirmatione a Patriarcha Joachim I (1498-1502),¹²⁷ a tribus Episcopis consecratus est.¹²⁸ Hic Unionem cum Roma roborare studuit, qua de causa litteras ad Romanum Pontificem Alexandrum VI (1492-1503) 25 augusti 1500 scripsit, et ad Unionem cum Christi Vicario admitti petivit:¹²⁹ « Ego enim credo et confiteor ... — scripsit Metropolita — Te Sanctorum Patrum et Patriarcharum Caput ... non compulsione vel necessitate, sed desiderio fidei et charitate cordis, cupiens a Sanctitate Tua sacra-tissimam benedictionem ».¹³⁰

Hic ultimus fuit Metropolita, qui — ut nobis constat exque patet documentis — Unioni favit. Deinde sub ejus successoribus Ecclesiae decadentia magis ac magis progreditur. Vim enim et robur vitale a Constantinopoli non jam amplius accipere potuerunt, quia ipse Patriarcha non in melioribus erat condicionibus, occupatione et fisco Ottomanico pressus. Ipse enim Patriarcha Niphon in litteris, si authenticae sunt,¹³¹ ad Josephum Metropolitam Kioviensem datis (1497) conquerebatur de Unione decreta in Concilio Florentino non acceptata ob rebellionem suorum subditorum. Desiderabat Latinos non conqueri ex hoc capite, sed calamitates potius aequo animo pati «quando oves nobis concreditae imperium et arbitrium in nos sibi usurpant, quorum pervicaciae resistere non possumus».¹³² Et confitetur easdem calamitates Constantinopoli adhuc perdurare: « Nos certe, quamquam maxime cuperemus

¹²⁴ 14. III. 1476. - ArJZR., pars I, t. VII, pp. 199-231.

¹²⁵ GIANNELLI C., *l.c.*, p. 453, in nota 1.

¹²⁶ AMMANN A.M., *o.c.*, p. 158.

¹²⁷ GIANNELLI C., *l.c.*, p. 452, 456-458.

¹²⁸ AMMANN A.M., *o.c.*, p. 160.

¹²⁹ THEINER A., *l.c.*, n. 296, p. 267-268.

¹³⁰ IBIDEM, p. 268.

¹³¹ GIANNELLI C., *l.c.*, p. 450 in nota 4.

¹³² LE QUIEN M., *Oriens Christianus in quatuor Patriarchatus digestus*, Parisiis 1740, t. III, col. 1129.

nil facere possumus eorum, quae nobis expedient ».¹³³ Res in melius mutatae sunt, quando Metropolitanam Sedem Kiovensem Michaël Rahoza (1588-1599) obtinuit. Iste Metropolita, quamvis instabilis indolis, bonae tamen voluntatis et zelo plenus¹³⁴ erat. Tempore ejus regiminis Synodi jam singulis annis celebrabantur et sic Ecclesia restaurari coepit. Ejus opus, omnium maximum est Unio Berestensis (1596). Etsi prima idea Unionis non ab ipso ortum duxerat, ad felicem tamen conclusionem ab eo perducta fuit. E contra, Gedeon Balaban, qui simul cum aliis Episcopis a. 1590 Unionem praeparare coepit forte non ex mala voluntate, tandem ad castra eidem hostilia descivit.

Unio ortum suum habuit in quadam conferentia quatuor Episcoporum: Gedeonis Balaban, Dionysii Zbirujskyj, Leontii Pelčytskyj et Cyrilli Terletskyj in Belz a. 1590 habita.¹³⁵ Cujus conferentiae in Synodo Berestensi ejusdem anni omnia acta confirmata sunt.¹³⁶ Dein in Synodis quotannis celebratis de eadem re agere non omittebant.¹³⁷ Tandem a. 1595 duo Episcopi, Hypatius Potij et Cyrillus Terletskyj, Romam profecti sunt, ubi die 23 decembris, nomine proprio totiusque hierarchiae, Primum Romanum Pontificis Clementis VIII ejusque Successorum agnoverunt eisque obedientiam et submissionem juraverunt nomine etiam suorum collegarum.¹³⁸ Revera in Rus' anno sequenti reversi, die 6-10 Octobris Unio cum Romana Ecclesia in Synodo Berestensi promulgata fuit, quamvis deinde asperam luctam subire debuerit. Hierarchia egitur Ecclesiae Ruthenae una cum populo sibi concredito¹³⁹ a Constantino-politanorum Patriarcharum dependentia propter eorum schisma se solutam esse dicens, Patriarchae Occidentis, Pontifici Romano se junxit. A loco felicis conclusionis Unio haec Berestensis appellatur, estque nostrae dissertationis terminus ad quem.

* * *

IV. Hisce breviter dictis ipsum obiectum nostrae dissertationis sat clare vel saltem sufficienter delineatum censemus.

Inde nihil amplius remanet, quominus ad ipsius Metropolitae Kiovensis, ut personae juridicae supra delineatae, potestatem considerandam temporum successu accedamus.

¹³³ IBIDEM.

¹³⁴ AMMANN A.M., o.c., p. 174; E. LIKOWSKI, *Berestejska Unija* (versio Basilii Kuzma et Joseph Zatorskyj), Zovkva 1916, p. 100.

¹³⁵ Eorum scriptum, quo Romano Pontifici se subiicere velle significant, in LIKOWSKI E., *Berestejska Unija* (Kuzma-Zatorskyj), p. 86-87.

¹³⁶ IBIDEM, p. 87-88; ArZR, t. IV, n. 25.

¹³⁷ LIKOWSKI E., l.c., p. 90 ss., 96 ss.

¹³⁸ IBIDEM, p. 123 ss.

METROPOLITA ET PATRIARCHA

ART. 1 - DE METROPOLITARUM INSTITUTIONE. — ART. 2 · DE METROPOLITARUM IUDICIO APUD PATRIARCHAM. — ART. 3 - DE METROPOLITARUM « LIMINA » VISITANDI OBLIGATIONE.

CAPUT I

METROPOLITA ET PATRIARCHA

Ex dictis in Introductione clare patet, Kioviensem Metropoliam fundatam fuisse ut filialem Ecclesiae Constantinopolitanae in eaque condicione juridica permansisse usque ad finem saeculi XVI. Dum ex hujusmodi dependentia ex una parte Patriarchis jura quaedam competebant, ex altera autem parte etiam Metropolitae erga suum immediatum Superiorum officiis quibusdam tenebatur. De omnibus tamen iuribus et respectivis officiis hic nobis non disserendum erit, sed de Metropolitarum tantum institutione, de iudicio super eosdem a Patriarchis peragendo, necnon de Metropolitarum limina visitandi obligatione in praesenti capite sermo erit.

Art. 1. — De Metropolitarum institutione.

In electione Episcoporum clerus et populus una cum Episcopis provinciae partem habebant quidem, sed non aequali ratione; decisio tamen ad solos hierarchas spectabat (cfr. cap. III, art. 1 hujus dissertationis).

Electio Metropolitarum eodem modo procedere debuit ac electio Episcoporum cum hac sola differentia, quod e tribus candidatis electis unum confirmare eumque consecrare ad Exarcham provinciae spectabat.² Quae disciplina Chalcedonensis Concilii canone 28 confirmatur, ubi Patriarchae Constantinopolitano reservatur jus tantum consecrandorum Metropolitanorum dioecesium Ponticae, Asianaee et Thraciae, electiones autem secundum morem fieri relinquuntur.³

Ad cognoscendam praxim servatam saeculo XII testimonium juvat Balsamonis dicentis, tempore anteacto Metropolitas eligi a Synodo provinciali, nunc vero hoc negotium reservatum esse Synodo Patriarchali.⁴ Ex his originem

* Ex ipsa novella 123, c. 3, confirmatio reservatur ei, qui consecrationem conferre jus habet; BALSAMON, in *Fonti*, ser. II, fasc. V, p. 95, n. 173.

³ « Ordinari autem, sicut dictum est, praedictarum dioecesium metropolitanos a Constantinopolitano Episcopo, *convenientibus de more factis electionibus et ad ipsum relatis* ». PITRA, *Juris Graecorum monumenta*, I, p. 533; cfr. BALSAMON, MIGNE, PG., t. 137, col. 486.

⁴ In comment. ad 28 Chaleed.; PG., t. 137, col. 486; ad 6 Sard., l. c., col. 1446.

suam naturalem repetit vetus illa quaestio: quo tempore jus istud Concilii Provincialis eligendi sibi Metropolitam translatum sit in competentiam Synodi endemousae?

Indicia Synodi endemousae jam saeculis V-VI cernuntur, in qua participant non tantum Metropolitae, sed Episcopi quoque et quidem non subditi Patriarchae. Posteriori autem tempore jus in iisdem participandi solis Metropolitis reservatum est. Labente tempore haec Synodus ita evolvitur ut jam a fine saeculi XI organum ordinarium administrationis ecclesiasticae in Patriarchia effecta sit.⁵ Probabiliter tunc temporis electio Metropolitarum ad ejus competentiam spectare coepit. Ae. Herman tamen, quibusdam fontibus attente examinatis ita concludit: « ci sembra che si possa affermare senza timore di sbagliare troppo gravemente che non erano trascorsi molti secoli dopo il Concilio di Calcedonia allorchè l'elezione dei Metropoliti divenne di competenza del sinodo permanente invece che di sinodi provinciali ».⁶

Metropolia Kioviensis sub finem saeculi decimi initium suum habuit. Id temporis Metropolitae certissime non jam a Synodis Provincialibus eligebantur, sed a Synodo Patriarchali endemousa. Etenim si talis erat praxis Ecclesiae Constantinopolitanae, eadem disciplina applicari debuit et ad novam Metropoliam. Revera inde a conversione Rus' usque ad Tartarorum invasionem (1240) praeter duos Metropolitas indigenos — Hilarionem sub Jaroslao (1051) et Clementem sub Izjaslao II (1147) — ceteri omnes non solum ordinabantur a Patriarcha, sed etiam eligenbantur ex clero Constantinopolitano.

Quae praxis deficientia candidatorum russorum minime justificatur. Verum est quod post Regni Rus' conversionem candidati apti ad hoc officium non statim habebantur; proinde omnino necessarium fuit non tantum primum Metropolitam, sed et Episcopos et Presbyteros e Constantinopoli venisse. Ad subsequentes tamen Sedis Metropolitanae provisiones hac difficultate Rus' non amplius laborabat. Nam jam ab anno 1051 Lavrae Grotarum Kioviae praepositus fuit Antonius, origine russus,⁷ et paulatim vita christiana et ascetica ita augebatur, ut incolae ejus in Sedes episcopales promovebantur ita, ut fere 90% Episcoporum, qui usque ad medium saeculum XIII Eparchias gubernaverant, ex monachis Pečerskiensibus selecti sunt.⁸

Aliquae rationes insinuantur in Bulla institutionis Metropolitae Alexii (1354), a Patriarcha Philoteo data. Ipse enim hac institutione exceptionem ex regula generali faciens adducit tres rationes, cur solis clericis Constantino-

⁵ AEM. HERMAN. *Appunti sul diritto metropolitico*, in « Orient. Christ. Periodica », t. 13 (1947), n. 3-4, p. 525.

⁶ IBIDEM., p. 532-533

⁷ A.M. AMMANN, *Storia della Chiesa Russa*, p. 25.

⁸ E. GOLUBINSKIJ, *Istoriija Russk. Tserkvi*, I, 1, p. 353-354.

politanis haec dignitas pateat, nempe ob excellentiam in virtutibus, ob virtutem in praedicatione et ob canonum scientiam.⁹

Procul dubio, in theoria saltem, omnes hae dotes possideri deberent ab omnibus Metropolitis graecis in Sede Kiovensi. Quid autem practice acciderit, historiographorum investigationes nobis enarrant, inter alios Metr. Makarij (Bulgakov), qui ad hanc conclusionem pervenit: ex 25 Metropolitis Kiovensis, qui per 450 annos Sedem Metropolitanam occuparunt, tantummodo 5 vel 6 inter vere instructi computandi sunt.¹⁰ Hoc concordat etiam A. M. Ammann, qui Metropolitas sub fine saeculi XII Sedem occupantes sic delineat: « *erano uomini di scarso valore*, ma questo non ha importanza; erano Metropoliti greci e la Russia continuerà ad essere una provincia ecclesiastica della Chiesa greca ».¹¹ Non immerito igitur concludit Makarij, principalem et decisivam hujus praxis causam fuisse pecuniam vel « *eleemosynas* », uti dicebatur, occasione institutionis Patriarchis offerendas.¹²

Neoconversae nationis Principes initio fortasse nonnisi politicam Metropolitarum suorum conversationem observabant,¹³ sed paulatim et ipsi in vita christiana profecerunt ac Metropolitarum incurantium in campo religioso tolerare non amplius passi sunt. Unde etiam eorum modus reagendi explicari potest.

Praetermissis igitur notissimis illis eventibus sub Jaroslao I (1051) et Izjaslao II (1147), de quibus supra, videamus quid acciderit sub Principe Rostyslao (1162), eo vel magis quod et ipse initio Clementem ut legitimum Metropolitam non agnovit.¹⁴ Deinde opinionem suam mutavit et legatum misit ad Patriarcham, ut confirmationem pro Clemente expeteret. Patriarcha tamen, antequam missi a Rostyslav venissent, Kioviam novum misit Metropolitam graecum, Joannem IV, quem tamen, fortasse insuccesum suspicans, non misit solum, sed cum Officiali Imperiali. Rostyslaus novum Metropolitam acceptare noluit et instantiis haud paucis Missi Imperatoris tandem cessit suumque dedit consensum.

Hac tamen occasione prolatus est verba aliqua digna quae memoriae tradantur: « *pro hac vice ob honorem et amorem Imperatoris* », simul comminans, quod si in futuro absque Principis saltem consultatione mittatur Metropolita in Rus', non solum eum non acceptabit, sed et legem faciet aeternam:

⁹ RIB, VI, addit., n. 9, col. 44-46.

¹⁰ *Istorija Russk. Tserkvi*, t. IV, p. 278-290; cfr. PSRL., I, p. 89.

¹¹ A. M. AMMANN, *l.c.*, p. 36.

¹² *Istorija*, VI, p. 278-290.

¹³ Sic inter causas Jaroslaum moventes, ut independenter a Constantinopoli Metropolitae electionem curaret, hostilis conversatio Metropolitae Theopempt, durante bello cum graecis gesto, designatur.

¹⁴ S. TOMAŠIVSKYJ, *Vstup do Istoriji*, p. 154.

Metropolitas eligi et consecrari debere in Rus' ipsa, cum consensu « Magni Ducis ».¹⁵ Ad rem hic duo notanda veniunt: 1) rationem cur tandem Rostyslaus novum Metropolitam acceptavit non fuisse auctoritatem Patriarchae; quae minime sufficeret, nisi voluntas Imperatoris intercessisset. Aliis verbis, Rostyslaus hoc suo modo agendi sibi jus vindicavit ac si negasset vel potius Patriarcham non agnovisset; 2) Rostyslaus cum diceret: « pro hac vice ob honorem et amorem Imperatoris », certe in mente habuit, quod si in futuro res simili modo processissent, et honor et amor Imperatoris non amplius eum convincerent, sed, explens comminationem, Metropolitas in sua ditione ex subditis suis instituere curabit.

Vita et regimen Rostyslai, ceteroquin brevia, in causa esse videntur cur provisio Sedis Metropolitanae Kioviensis alium non habuerit cursum.¹⁶

II. Ab incursione Tartarorum et devastatione Kioiae (1240) praxis instituendorum Metropolitarum Kioiensium aliam assumpsit directionem. Hucusque quasi ex regula soli graeci fuerant titulares hujus Sedis; nunc vero in hac tristissima periodo indigenas Metropolitas videbimus. Secunda periodo graeci et russi alternative quasi instituuntur, et solummodo sub finem saeculi XIV iterum soli graeci praevalebunt. Tertia tandem periodo, i.e. post Florentinum Concilium, graeci candidati omnino excluduntur. Inter causas, quae ad disciplinae mutationem ineundam concurrerunt alias hic recensemus.

1. Et imprimis ponenda esse videtur illa Kioiae destructio atque decadentia, quae a pristina sua gloria concidit. Namque ante suam a Tartaris destructionem Kiovia considerabatur « mater urbium russarum ». A Tartaris deleta, hanc praeminentiam amisit et fulgorem, unde et Regnum Rus' ex hoc capite in varios dispescitur Ducatus, quorum Principes de hegemonia politica inter se luctuosum et intestinum fovent certamen, quo extenuati paulatim dominio extraneo subiciuntur. Haud mirum igitur est potentiores sua quemque auctoritate eniti, ut Metropolitas haberent sibi faventes; immo et Constantinopolim candidatos quisque suos mittebat non solum quoties, Sede Metropolitana vacante, id oportuerit, sed etiam ea plena; quin etiam hac ipsa de causa novas quoque Metropolias, a Kioensi independentes, erigendas curabant (Haliciensis, Lithuana).

2. Alteram quoque causam considerare praestat, nempe Patriarcharum exsilium. Patriarchae Niceae in exilio manentes, ob dominatam Constantinopolim a Latinis (1204-1261), hac periodo magis remoti erant a Metropolia Kioensi. Hac locorum distantia augenbantur impedimenta, quae maxime

¹⁵ TATIŠČEV, *Istorija Rossiskaja*, III, p. 142; SOKOLOV, *Russkij Archierej*, p. 122.

¹⁶ S. TOMAŠIVSKYJ, *o.c.*, p. 156 ss.

¹⁷ N. KALAČOV, *Archiv istoryko-juridičeskych svedenij*, t. II, pars I, otd. 1, p. 13.

curae et vigilantiae Patriarcharum in Metropoliam Kiovensem, suam suffraganeam, obstabant. Sic factum est quod auctoritas Patriarcharum paulatim ac gradatim minuitur ita, ut post captam Constantinopolim a Turcis (1453), ob destructam Sedem ab infidelibus, necessitas petendi subsidium ab Ecclesia filia ipsorum auctoritati minime suaserit. Nam hae eleemosynae ex una parte quidem ipsis levamen afferebant, ex altera autem parte Principibus russis, pro eorum politicis simul et ecclesiasticis finalitatibus consequendis serviebant.¹⁸

3. Prout tertia causa adduci potest ipsa Principum conversatio, quae non parvum influxum in hanc mutationem exercuit.

Comminatio ex. gr. in casu negationis se ad Latinos conferre omnino sufficiens et indiscutsum erat argumentum, ut aliquid a Patriarcha certe obtineretur.

Anno 1370 Casimirus, Poloniae Rex, ut Metropolitam Antonium pro Metropolia Haliciensi obtineret, tale adhibuit argumentum comminationis,¹⁹ atque Patriarcha Philotheus (1364-1376) Antonium instituit. Notandum, Philotheum esse eundem ac illum qui ante sexdecim annos Metropolitam Kiovensem Alexium (1354) instituens sollemniter significaverat, se tantum pro hac vice exceptionem facere, « in futuro autem numquam admittemus, dixit, nec concedemus aliquem russum indigenam Metropolitam fieri ».²⁰

Quod revera hoc Casimiri « argumentum » Patriarcham persuasit, ex ejusdem litteris eruitur, quibus Metropolitae Alexio institutionem novi Metropolitae pro Haliciensi Sede a se factam nuntiat. Ad justificationem sui actus coram Metropolita, e cuius subjectione Haliciensem Sedem una cum quibusdam Eparchiis abstulit, ait Patriarcha: « aliter res se haberent, si Princepsi esset nostrae ortodoxae fidei; in tali casu potuissemus causam differre », et deinde prosequitur: « si nos ei hoc negassemus, ipse instituendum curaret, sicut scribit, aliquem latinum et Russos in latinam fidem baptizare juberet ». Petit deinde Metropolitam, ut ipse judicaret utrum pulchrum hoc esset, et gaudio correptus exclamat: « ex toto corde gratias Deo ago, quod ita nondum fecit, sed scripsit ad nos et Metropolitam petivit ».²¹

III. Metropolitae hujus secundae periodi, qui graeci fuerunt, evidenter more graecorum a Synodo endemousa eligebantur; Patriarcha electum confirmabat

¹⁸ His eleemosynis adscribenda est inter alia suppressio Metropoliae Haliciensis anno 1347. A.M. AMMANN, o.c., p. 78; non pauci Metropolitae his mediantibus consecrationem suam obtinuerunt, ut v. g. Romanus Lithuanus a. 1354. A.M. AMMANN, o.c., p. 83; Rus sub finem saeculi XVI, in tota sua historia, semel visitatione Patriarchali dignata est, ob eleemosynas colligendi necessitatem. - PSRL, II, 369.

¹⁹ RIB, VI, addit., n. 22, col. 128.

²⁰ IBIDEM, n. 9, col. 46.

²¹ IBIDEM, n. 25, col. 144-146.

et consecrabat. Metropolita Cyprianus, saeculo XIV exeunte, de se testatur, « Dei miseratione, electione magnae et sanctae Synodi, Patriarchae autem oecumenici benedictione et consecratione » obtinuisse Metropoliam Kiovensem.²² Etiam candidati russi, quamvis a Principe praesentati, eodem modo a Synodo endemousa eligebantur et a Patriarcha consecrabantur. De Metropolita Alexio (1354-1378) legimus, quod per totum annum Constantinopoli mansit donec Metropolita factus Kioviam reversus est.²³ Ipse testatur, se Metropolitanam potestatem accepisse ab oecumenico Patriarcha et a Sancta Synodo.²⁴ Similiter et Antonius Metropolita Haliciensis.²⁵

Anno autem 1397 Patriarcha Antonius IV (1391-1397) ad Jagello, Poloniae Regem (1386-1434) sribens, de Joanne Episcopo Luceoriensi dum loquitur, ex una parte consentit ut mittat vel eundem Joannem, si prius a Metropolita correctus fuerit, vel alium aptum candidatum in ejus locum ad institutionem pro Sede Metropolitanana Haliciensi accipiendo; ex altera autem parte se libenter curaturum aliquem eligi e clericis constantinopolitanis.²⁶ Ex hoc concludere fas est quam aegre a Patriarchis ferebatur haec disciplinae mutatio. Auctoritas eorum jam valde diminuta fuit ita, ut Principum voluntate non exquisita non amplius antiqua libertate et arbitrio gaudere potuerunt. Nullam tamen occasionem praetermittebant, ut saltem aliquantulum influxum suum sentire facerent. Ideo respingunt praesentationem Theodosii a Vitoldo (1392-1430), Principe Lithuaniae, factam et in ejus locum mittunt Photium;²⁷ deinde — contra suam pollicitationem, quod post Cyprianum Metropolitae totius Russiae nonnisi ad petitionem Magnorum Principum instituentur,²⁸ — mittunt Isidorum graecum. Hic tamen fuit ultimus graecus et ultimus qui directe a Patriarcha missus Sedem Metropolitanam Kiovensem occupaverit. Auctoritas Patriarcharum magis ac magis minuitur, quibus saeculo XVI nihil aliud praeter Metropolitarum electorum confirmationem remanet.²⁹

Ineunte tamen saeculo XVI Metropolitanae Kiovenses, accepta a Poloniae Regibus nominatione,³⁰ se quidem conferebant Constantinopolim quo consecrationem a Patriarcha acciperent,³¹ sed volventibus annis, ob Tartarorum

²² « Az Božijem izvolenijem i izbranijem vejkaho i svjataho sbora, i blahoslovenijem i stavlenijem vselenskoho Patriarcha postavljen jesm mytropolytom na vsju russkuju zemljju ». *Littera ad Sergium, hegumenum de Radonež*; RIB, VI, n. 20, col. 173.

²³ RIB, VI, addit., n. 9, col. 46; n. 10, col. 54.

²⁴ IBIDEM, n. 19, col. 169.

²⁵ IBIDEM, addit., n. 23, col. 130.

²⁶ IBIDEM, n. 44, col. 300-302.

²⁷ AkZR, I, n. 25, col. 36.

²⁸ RIB, VI, addit., n. 30, col. 184.

²⁹ D. SYNTSKIJ, in « Vestnyk JZR », 1862 (II), p. 63.

³⁰ E. LIKOWSKI, *Berestejska Unija*, p. 29.

³¹ G. MARKEVYČ, in TKDA, 1871, p. 485; AkZR, III, nn. 71 et 80.

praesertim incursions ac viarum pericula,³² paulatim in praxim venit legatos tantum ad confirmationem a Patriarcha obtinendam mittere. Litteris a Patriarcha, per suos legatos vel per Patriarchales Exarchas acceptis, Metropolitae consecrationem a suis Suffraganeis accipiebant,³³ qui modus provisionis inde a fine saeculi XV valere coepit.

Art. 2. — De Metropolitarum judicio apud Patriarcham.

Sicuti Metropolitas instituere, ita eosdem judicare ad Patriarchae competentiam spectat.³⁴ Metropolita Kioviensis, ut vidimus, a Patriarcha Constantinopolitano institutionem accipiebat. Adsunt etiam nonnulla exempla, quibus elucet ipsos a Patriarcha judicatos fuisse. Quotiescumque enim de aliqua causa contra Metropolitam mota agebatur, Patriarcha immediate, i. e. personaliter cum sua Synodo, vel mediate per suos Exarchas certior fiebat.

1. Cum Metropolia Haliciensis anno 1347 suppressa et Kioviensi adnexa esset, Patriarcha Isidorus Metropolitam Haliciensem Theodorum in judicium citavit;³⁵ quanam de causa, non constat. Accusationem factam fuisse a Metropolita Kioviensi Theognosto (1324-1353) patet ex litteris Imperatoris Joannis Kantakuzeni datis³⁶ atque ex aliis Principi Mosquensi Simeoni missis³⁷ quibus nuntiat Theodorum jam esse citatum a Patriarcha et praeterea asserit, se accusationibus jam antea delatis et nunc iterum renovatis Metropolitae Kiov. Theognosti satisfacere velle. Insuper eundem Metropolitam hortatur, ut et ipse personaliter veniat, vel legatos, qui bene obiicere valeant, mittat.³⁸

Alterum exemplum litis inter duos Metropolitas judicialiter a Patriarcha dirimendae habetur ex illo tempore, quando fere simul cum institutione Metr. Kioviensis Alexii (1354) institutus fuit et Metropolita Lithuania, Romanus. Inter hos enim Metropolitas orta est dissensio de jurisdictione: Romanus nempe potestatem suam Kioviam usque extendebat.³⁹ Ambo igitur Metropolitae Constantinopoli a. 1355 comparuerunt, ubi eorum causa a Patriarcha synodaliter soluta fuit.⁴⁰ Romanus solutione minime contentus, antequam decretum a Patriarcha accepisset, clam Constantinopoli profectus fuit.⁴¹ Post-

³² RIB, VI, n. 62, col. 535.

³³ EUHENIJ, *Opisanije K-S. S.*, p. 112; GIANNELLI, in « Or. Chr. Per. », IX (1943), pp. 450-459.

³⁴ N. MILAŠ, *Pravosl. Tserk. Pravo*, pp. 320-321.

³⁵ RIB, VI, addit., n. 8, col. 40.

³⁶ IBIDEM, n. 4, col. 22.

³⁷ IBIDEM, n. 5, col. 26.

³⁸ IBIDEM, n. 4, col. 24.

³⁹ IBIDEM., n. 13, col. 74.

⁴⁰ IBIDEM, nota 1 et 2.

⁴¹ IBIDEM, col. 78.

quam autem ambo domum reversi sunt, res eodem modo ac antea processerunt. Theognostus igitur iterum Romanum per legatos suos apud Patriarcham accusavit⁴² et duo Exarchae Constantinopoli missi sunt, qui causam in loco examinarent atque Patriarchae referrent ita, ut iste sententiam proferre valeret.⁴³ Romanus tamen interea obiit (1361) et Alexius deinde, Metropolita Kioviensis, jurisdictionem suam sine impedimento etiam in lithuanis Eparchiis exercere potuit.⁴⁴

2. Anno 1365 Metropolita Kioviensis Alexius suaे Metropolitanae Eparchiae duas adjunxit civitates, Nyžnyj Novhorod et Horodets, quae ad Suzdalensem Eparchiam spectabant.⁴⁵ Aliquot post annos (1378) Episcopus Suzdalensis Dionysius ab eodem Metropolita facultatem regendi illas civitates obtinuit, ut Exarcha Metropolitae.⁴⁶ Metropolita Alexio vita functo (1374), idem Dionysius a Patriarcha Nilo decretum obtinuit, quo civitates hae ad Eparchiam suam adnexae fuerunt.⁴⁷ Ejus successor in Episcopatu Suzdalensi, Euphrosinus, decretum a Dionysio obtentum⁴⁸ praesentans, aliud etiam decretum in suum favorem consecutus est (a. 1389) a Patriarcha Antonio IV (1389-1390), quo definitive hae regiones ei adscribebantur.⁴⁹ Interea Metropolita Cyprianus a. 1393 conqueritur coram Patriarcha de illegitimitate decretorum, quia illae civitates ad Metropolitanam Eparchiam pertinebant etiam tunc, quando ut Exarcha eas Episcopus Suzdalensis⁵⁰ administrabat. Patriarcha igitur Antonius IV (II - 1391-1397) misit duos Exarchas eisque commisit, ut decreta anteriora in hac causa data bene examinarent.⁵¹

3. Princeps Tveriensis, Michael Jaroslavič, anno 1312-1315 Metropolitanum Petrum de multis irregularitatibus accusavit, quas inter de dispensatione a quarto gradu consanguinitatis pro contrahendo matrimonio concessa, necnon de simonia.⁵² Patriarcha Niphont I (1311-1315) Principi commisit, ut Metropolitanam cogeret Constantinopolim in judicium se conferre simulque ei praecepit, ut mitteret testes, qui accusations probare possent.⁵³ Quomodo postea res se habuerint, nobis non constat.⁵⁴

⁴² IBIDEM, n. 14, col. 86.

⁴³ IBIDEM, n. 13, col. 82-84; n. 14, col. 85-92.

⁴⁴ IBIDEM, n. 15, col. 92-98.

⁴⁵ *Chronica Niconis*, PSRL, X, 227; XI, 5; GOLUBINSKIJ, o.c., I, 1, p. 206.

⁴⁶ RIB, VI, addit. n. 41, col. 280.

⁴⁷ IBIDEM, n. 34, col. 230.

⁴⁸ IBIDEM, n. 41, col. 278.

⁴⁹ IBIDEM, n. 34, col. 230.

⁵⁰ IBIDEM, n. 41, col. 280.

⁵¹ IBIDEM, n. 42, col. 288-96.

⁵² IBIDEM, n. 16, col. 148-9.

⁵³ IBIDEM, col. 149.

⁵⁴ GOLUBINSKIJ, o.c., II, 1, p. 115.

Anno 1371 Metropolita Alexius Principem Tveriensem, item Michaelem, ob bellum contra Principem Mosquensem Demetrium gestum excommunicavit, quae excommunicatio a Patriarcha confirmata fuit.⁵⁵ Ea de causa Metropolita accusatus fuit. In litteris citationis Patriarcha Philotheus terminum judicii assignat mensem Septembrem anni sequentis eumque admonet, ut per se vel per legatos compareat.⁵⁶ In brevi tamen, videntis Principem esse in melioribus condicionibus politicis,⁵⁷ idem Patriarcha aliis litteris ad Metropolitam et ad Principem datis⁵⁸ eos ad benevolam controversiae compositionem adhortatus est.

4. Novhorodenses, qui Metropolitae judicia mensilia sub finem saeculi XIV negaverunt, reprehensionem Patriarchae Antonii IV meruerunt, quia Constantinopolim recursum non fecerunt, cum a Metropolita iniustitiam paterentur.⁶⁰ Quamobrem Exarchae: Michael, Archiepiscopus Bethleem et Alexius Aaron a. 1393 a Patriarcha missi sunt, ut controversiam inter eos et Metropolitam componerent.⁶¹

Ex adductis exemplis nullum dubium remanet, quin Metropolitae Kiovenses judicarentur a Patriarchis. Quaeque enim causa contra Kiovienses Metropolitas mota sive ab alio Metropolita, sive ab Episcopo aliquo, sive a Principe vel a laicis, unice a Patriarcha cum sua Synodo Constantinopoli, vel in loco, ab eius Exarchis ad hoc deputatis, cognoscebatur.

Art. 3. — De Metropolitarum « limina » visitandi obligatione.

Ad visitationem « liminum » et simul conjunctam participationem Metropolitarum Kioviensium in Synodis patriarchalibus spectant praesertim ea, quae de Alexio a. 1354 statuuntur. Quamvis ipse juxta canones et vi suae dependentiae teneretur singulis annis Patriarcham visitare, nihilominus ob locorum distantiam et difficultates necnon pericula cum hoc itinere conjuncta Patriarcha Philotheus ei indulxit (1354-1355), ut saltem altero quoque anno huic obligationi satisfaceret. Quodsi quacumque ratione ipse personaliter se conferre nequiret, permisit ei, ut clericum saltem ex suis seligeret eumque debitis facultatibus munitum mitteret de quaestionibus Ecclesiam respicientibus interpellantem.⁶²

⁵⁵ RIB, VI, addit. n. 2, col. 117; n. 20, col. 121.

⁵⁶ IBIDEM, n. 26, col. 150 ss.

⁵⁷ IBIDEM, n. 28, col. 158; E. GOLUBINSKIJ, *i.e.*, p. 104.

⁵⁸ RIB, VI, addit. n. 28, col. 155-160.

⁵⁹ IBIDEM, n. 29, col. 162-166.

⁶⁰ IBIDEM, n. 37, col. 250, 252, 256.

⁶¹ IBIDEM, n. 36, col. 234; n. 37, col. 250; n. 38, col. 256.

⁶² IBIDEM, n. 9, col. 50.

Undenam haec Metropolitarum obligatio oriatur, ad quam alludit Patriarcha, indicant nobis aliae litterae ejusdem Patriarchae eidem Metropolitae a. 1370 datae.⁶³ In quibus dicit Patriarcha, quod olim omnes Metropolitae «bis in anno» Constantinopolim se conferre tenebantur, quae obligatio deinde ob distantiam atque humanam debilitatem a Patribus in «semel in anno» faciendam commutata est. In hoc referendo Patriarcha Philotheus probabiliter prae oculis habuit canones illos (Apost. 37, Nic. 5, Ant. 20, Chalced. 19), qui omnes de Conciliis bis in anno celebrandis agunt, et canones Trull. 8, II Nic. 6, qui disciplinam hanc mitigaverunt.⁶⁴

Utrum Metropolitae Kiovienses periodo antemongolica et mongolica secundum hanc regulam Constantinopolim visitassent an non, ex fontibus in manibus nostris existentibus satis certe cognoscere non possumus; immo probabilius negandum videtur. Etenim, quoad scimus, de triplici tantum praesentia Metropolitanorum Lithuaniae in Synodis Patriarchalibus,⁶⁵ de una Metropolitae Haliciensis,⁶⁶ et item de unius tantum Metropolitae Kioviensis Cypriani a. 1389 in triplici Synodo praesentia, fontes nobis referunt.⁶⁷ Reliqua autem Metropolitarum Kioviensium Constantinopolim itinera, si illa institutionis accipienda causa excipias, non liminum visitationis, sed potius in judicium sive ut actores sive ut rei se sistendi gratia facta fuisse, ex documentis colligitur.

Frequentius Metropolitae loco personaliter se conferendi Constantinopolim litteris per legatos suos missis necessarias instructiones a Patriarchis exposcebant atque obtinebant.

Jam secunda medietate saeculi XIII Metropolita Cyrillus II (1249-1281) per litteras Patriarcham certiores fecit de judicato Episcopo Suzdalensi, ob Principis Andreae accusationem.⁶⁸ Theognostus a. 1339 interrogavit Patriarcham, quid faciendum cum reliquiis Metropolitae Petri (1307-1326), nuper repertis et miracula patrantibus.⁶⁹ Idem Theognostus a. 1347 legatos suos ad Imperatorem⁷⁰ et ad Patriarcham⁷¹ misit, suppressionem Haliciensis Metropoliae expostulans.

Ipse Metropolita Alexius (1354-1378), cui Patriarcha indulsit altero quoque

⁶³ IBIDEM, n. 17, col. 104-106.

⁶⁴ A. PAVLOV, in RIB, VI, addit. n. 17, col. 104, nota 1 et 2.

⁶⁵ Annis 1317, 1327, 1329; — *Acta Patriarchatus Constantinopolitanus*, I, respective pp. 72, 143, 147.

⁶⁶ A. 1331; — IBIDEM, p. 362.

⁶⁷ A. 1389; — IBIDEM, t. II, pp. 130, 132-3, 135.

⁶⁸ RIB, VI, n. 6, col. 66.

⁶⁹ IBIDEM, n. 2, col. 11.

⁷⁰ IBIDEM, n. 4, col. 22.

⁷¹ IBIDEM, n. 7, col. 36.

anno Constantinopolim visitare, non personaliter, sed per legatos, huic obligationi suae satisfaciebat ita, ut laudem a Patriarcha obtinere meruisset;⁷² post paucos annos tamen reprehensus est, quia ad Patriarchae litteras respondere noluerit.⁷³

De Metropolita Cypriano (1381-1382, 1390-1406) scimus, eum duabus saltem litteris Patriarcham interpellasse. Anno 1393 per suum apocrisiarium certiorem fecit Patriarcham de negato sibi judicio mensili a Novhorodensi-bus⁷⁴ simulque instantiam proposuit ad vindicandas civitates Nyžnyj Novhorod et Horodets ab Episcopo Suzdalensi occupatas.⁷⁵ Aliis litteris, a. 1397 missis, suos labores apostolicos descriptis, Unionem celebrandam proposuit atque Metropoliam Haliciensem curae Patriarchae quoque commendavit.⁷⁶

Etiam Metropolita Photius (1408-1431) de electo Metropolita Gregorio T samblak a. 1415⁷⁷ Patriarchae scripsit, et Metropolita Michael Rahoza (1588-1599) a. 1590 Patriarchae Jeremiae II de judicio super Gedeone Balaban peracto communicavit⁷⁸ et instructiones quasdam expostulavit.⁷⁹

Ex adductis hisce casibus concludendum venit, Metropolitas Kiovienses per modum exceptionis Constantinopolim visitandi limina causa se contulisse decursu hujus periodi Metropolitas Kiovienses proxim generalem habuisse, Patriarchas per litteras de rebus ecclesiasticis edocere ab iisque necessarias instructiones ac provisiones obtinere, dicendum est.

⁷² IBIDEM, addit. n. 17, col. 104. 106.

⁷³ IBIDEM, n. 33, col. 200-203.

⁷⁴ IBIDEM, n. 38, col. 254.

⁷⁵ IBIDEM, n. 41, col. 278.

⁷⁶ IBIDEM, n. 45, col. 304-306.

⁷⁷ IBIDEM, n. 40, col. 358.

⁷⁸ ArJZR, pars I, t. X, p. 94.

⁷⁹ AkJZR, II, p. 190.

METROPOLITA ET SYNODI

**ART. 1 - SYNODORUM CONVOCATIO EARUMQUE NUMERUS. —
ART. 2 - MEMBRA CONCILII. — ART. 3 - SYNODORUM COMPETENTIA.**

CAPUT II

METROPOLITA ET SYNODI

Synodi Provinciales, secundum disciplinam in canonibus statutam, antiquitus bis in anno celebrari debebant.¹ In Occidente inde a saeculo VI semel in anno, immo saltem alternis annis fieri urgebantur.² Synodi annualis convocandae facultas apud Metropolitam erat,³ cuius praesentia necessaria erat, ut Synodi legitimitas haberetur.⁴ Episcopi omnes hujusmodi Synodis adesse tenebantur, nisi ob gravem necessitatatem aliamve justam causam excusarentur.⁵

Art. 1. — Synodorum convocatio earumque numerus.

Concilium Chalcedonense canone 19 antecedentium Conciliorum regulam de Synodis bis in anno celebrandis renovavit; nam ita sonat textus: « in provinciis statuta episcoporum concilia minime celebrantur ».⁶ Concilii Nicaeni II Patres,⁷ ob itineris tum molestias tum sumptus, disciplinam de Synodis bis in anno celebrandis mitigantes sanxerunt, Synodos semel in anno celebratum iri.⁸ Procedente autem tempore hujusmodi Conciliorum celebrationis disciplina paulatim non amplius observata fuit ita, ut tempore Balsamonis omnibus in locis Synodi celebrari desierint.⁹ In Rus' vero Synodi non quotannis celebabantur,¹⁰ sed tantum instantे Ecclesiae necessitate. Frequentius celebabantur

¹ Nic. 5, Ant. 20, Apost. 37, Chalced. 19.

² KURTSCHIED B., *Historia Institutionum Juris Canonici*, Romae 1941, t. I, p. 141.

³ Apost. 34; ZONARAS, in *Fonti*, ser. II, fasc. V, p. 59, n. 74; II Nic. 6, in MANSI, *Collectio conciliorum*, XIII, p. 750.

⁴ Ant. 16; ZONARAS, *l.c.*, p. 121, n. 249.

⁵ Laod. 40, Chalced. 19, Nic. 5; ZONARAS, *l.c.*, p. 88, n. 150.

⁶ PITRA I. B., *Juris ecclesiastici Graecorum historia et monumenta*, Romae 1864-1868, t. I, p. 529.

⁷ c. 6; — MANSI, XIII, p. 750.

⁸ c. 8; — MANSI, XI, p. 946.

⁹ ZONARAS, *l. c.*, p. 62, n. 82.

¹⁰ BALSAMON, in *Fonti*, ser. II, fasc. V, p. 124, n. 256.

¹¹ GOLUBINSKIJ E., *o.c.*, t. I, 1, p. 295.

Concilia pro electione Episcoporum,¹² innumeri dantur etiam conventus Episcoporum ad sollemitates peragendas,¹³ quaedam ad haereticos damnandos,¹⁴ et praesertim ad quaestiones disciplinares tractandas et abusus corripiendos. De his speciatim nobis hic agendum erit.

« Pravylo » seu regula Metropolitae Joannis, labente saeculo XI, corripiendos dicit Episcopos utpote non recte agentes, qui a Metropolita vocati in Synodus non compareant.¹⁵

Indubie hic agnoscitur Metropolitarum jus Episcopos convocandi non solum ad electiones Episcoporum, sed etiam ad negotia ecclesiastica pertractanda casusque pastorales solvendos. Quaenam fuerit occasio proxima hujus « Pravylo » non constat; at consulto suspicari posse videtur, Episcoporum in hac materia inobedientiam causam ei praebuisse.

Quaestio de jejuniis servandis feriis IV et VI, quoties his diebus festa principaliora coincidunt, duo Concilia, a. 1164 et 1168, ad disciplinam hanc stabiendi provocavit,¹⁶ a Metropolita, cuius erat his in rebus invigilare, convocata.

Metropolita Cyrus II, qui primus post Tartarorum incursionem Sedem Metropolitanam occupavit, visitans varias Eparchias vidit, ut ipse testatur,¹⁷ non paucos abusus in tota sua Metropolia, quibus ut finem imponeret, Vladimiriæ Synodum convocavit (1274) et « explorata a præsenti sancta Synodo et a venerabilibus Episcopis sententia, proposuit statuere ac promulgare quaedam decreta, ad tollendos varios abusus ».¹⁸

Sub anno 1284 in Chronicis Niconis¹⁹ adnotationem invenimus, convocatos fuisse Episcopos apud Maximum (1283-1305), Metropolitanam Kiovensem totiusque Russiae; at quo fine Concilium celebratum fuit, nihil dicitur.

Ab eodem Metropolita Maximo celebratum est etiam Concilium ad fines Eparchiarum Brjansk-Saraj stabiendos, qua de re, ut testatur Metropolita Alexius (1354-1378),²⁰ non solum Maximus, sed et successores ejus, Metropolitae Petrus (1308-1326) et Theognostus (1328-1353), synodaliter in Kostro-

¹² Cfr. c. III, art. 1 hujus dissertationis.

¹³ Cfr. MALÝŠEVSKIJ I., *Kievskije Sobory*, in TKDA, 1884, III, p. 494 ss.

¹⁴ GOLUBINSKIJ E., o. c., t. I, 2, p. 795.

¹⁵ « Jže ne poslušajut epyskopy svojeho mytropolitya sovokupljatysja prizyvajemiji ot neho sbor tvoryty, iže zli tvoriaščaja poučyty jich otečeskym nakazanijem »; — RIB, VI, col. 18; cfr. *Fonti*, ser. II, fasc. VII, p. 2, n. 4.

¹⁶ GOLUBINSKIJ E., o. c., t. I, 2, p. 468-9.

¹⁷ « Tim bo az Kjuryl ... mnoga ubo vydinijem i slyšanijem neustrojenijev Tser-kvach ... »; — RIB, VI, col. 85.

¹⁸ HARASIEWICZ M., *Annales Ecclesiae Ruthenicae*, Leopoli 1862, p. 198.

¹⁹ PSRL, t. X, p. 162.

²⁰ RIB, VI, col. 172.

ma egerunt. Ulteriores tamen informationes de his Synodis non habentur.

Potestas Metropolitarum Kioviensium Episcopos ad Synodus vocandi deduci etiam potest ex juramento, ante consecrationem ab Episcopis praestito. In « ordine electionis Episcoporum », saeculo XV, traditur forma talis juramenti, ubi novi Episcopi inter alia sub poena depositionis²¹ sese obligabant, « sine ulla mora » Metropolitam adituros, quoties ab eo vocati essent.²²

Verum est, in documento hoc directe contemplari convocationes Episcoporum ad candidatos pro Eparchiis vacantibus eligendos,²³ sed simul verum est, peracta electione, Episcopos congregatos generatim de rebus necessariis totam Ecclesiam respicientibus egisse, ut ex Synodo Vladimiriensi (1274) clare appareat.

Ex saeculo XV aliquas de Synodis electionum notitias accuratiores habemus, ex quibus scimus, has Synodos sat frequenter convocari. Eodem tempore jus patronatus Regum initium habuit, quare Episcopatum Sedes saepius viri indigni occupabant, qui neque de Ecclesia, neque de ejus necessitatibus curabant. Maximam eorum attentionem requirebat bonorum administratio²⁴ eorumque judicialis revindicatio ac tutela, quibus omnibus aliisque fictis causis tempus explentes, sese excusabant Episcopi, non posse in Synodis interesse.

De hoc conqueritur Metropolita Joseph II Soltan (1507-1521) in Synodo Vilnensi (1509) his fere verbis: « Sunt nonnulli Episcopi, qui Ecclesiae Magnae Dei subiici ac eidem oboedire nolunt, neque nobiscum in unum pro ortodoxae fidei nostrae confirmatione convenire, neque de grege suo ovium Christi curam habere studentes, profanis actionibus et negotiis mancipati ab his omnibus sese excusant ».²⁵ Et statuunt congregati Patres: « jubemus omnibus, ut nisi urgenti quadam necessitate excusentur, sine ulla contradictione in Synodos convenient ».²⁶ Corroborant statutum suum dicto S. Pauli et Prophetae,²⁷ sanctionem tamen nullam definiunt, praeterquam se nullam responsabilitatem ante Deum habere, si Episcopi de Synodis celebrandis sese excusent et gregem suum sine pastorali cura relinquent pergaunt.

Nil mirum ergo, quod nulla emendatio secuta est. Immo, et Metropoli-

²¹ « ... ily prestuplju čto, da i jedyno ot sych vsich upysanych zdi, lyšen budu sana svojeho bez vsjakoho slova »; RIB, VI, col. 455.

²² « vnehda pozvaty mja tebi hospodynu mojemu, prysvjaščennomu mytropolitu Kijevskomu i vseja Rusy, imjarek, bez slova vsjakoho my jichaty k tebi; i na tom obcyvajusja »; — RIB, VI, col. 454.

²³ IBIDEM, col. 439.

²⁴ SYNYCKYJ D., *Charakter tserkovnago upravlenija v juhozapadnoj i zapadnoj Rusy pred Breskoju Unijeju*, in « Vestnyk JZR », 1862, II (2), p. 78 in nota.

²⁵ EUGENIJ, o.c., addit. n. 10, p. 47.

²⁶ IBIDEM.

²⁷ I Cor. VII, 20 et Ezech. III, 18.

tae ipsi Episcoporum suorum exemplum secuti, de disciplina ecclesiastica observanda non amplius curabant. Propterea anno 1546 Sigismundus I vi-dens Episcoporum conversationem secundum canones non esse, Metropolitam Macarium II (1534-1556) increpat de ignavia et incurantia eique imponit, ut Synodus Vilnae convocaret, et Rex ipse pollicitus est indicare de quo in Synodo disceptandum est.²⁸

Anno 1558 Metropolita Silvester Bilkevyc (1556-1567) Synodum indixit Vilnae, prima dominica Quadragesimae celebrandam. Episcopi tamen non comparuerunt ideoque Sigismundus Augustus (1548-1572, 1544-1569), Rex Poloniae et Lithuaniae, postulante Metropolita, omnibus Episcopis, Archimandritis et Superioribus «Spiritualibus» jussit, ut ad Synodum celebrandam se conferrent. Archimandrita autem Suprasliensis, Sergius Kymbar, ob aetatem provectam et ob morbum petivit a Rege, ut de participatione in Synodo excusaretur. Sigismundus Augustus hanc causam litteris suis Metropolitae Silvestro commisit rogans, ut praedictum Archimandritam a Synodo dispensaret, firma tamen substitutum suum mittendi obligatione.²⁹

Nihilominus res suo inveterato cursu procedebant.

Patriarcha Jeremias II (III-1585-1595), qui sub finem saeculi XVI Rus' visitavit, Synodorum celebrationem restauravit, atque suo exemplo praecepit ea celebranda esse indicavit.³⁰

Metropolita Michael Rahoza (1588-1599), disciplinae ecclesiasticae restaurandae desiderio motus, die 20 junii 1590 Synodum in Berest Lithuaniae celebravit, in qua, praeter Metropolitanum, quinque alii Episcopi interfuerunt.

Enumeratis motivis, quibus Concilium celebraturi convenerant, omnes unanimiter statuerunt, Concilia singulis annis die 24 junii (juxta vetus Calendarium, i. e. Julianum) in Berest Lithuaniae celebranda esse.³¹

In alia Synodo, prima mediaetate ejusdem anni in Belz celebrata, in qua tamen non omnes Episcopi interfuerant, statutum est etiam aliquid de Synodorum celebratione; quidnam praeceps statutum fuerit, nescimus. Hoc unum nobis certum evadit fore ut Episcopi, vi illius Synodi, quotannis in Belz se conferre debuerint, ut patet ex hac Synodo (1590), ubi, ceteris in vigore relicitis, dispositio de loco Synodorum celebrandarum ad hujus Synodi reducitur statutum.³²

²⁸ AkZR., III, n. 3, p. 3.

²⁹ Litterae, 2. II. 1558; — *Arch. Sbornyk.. IX*, r. 21, p. 55-56.

³⁰ Zukovič, *Brestkij Sobor 1591*, in «Izvestija otdel. russkaho jazyka i slovesnosti», XII (1908), fasc. 2, p. 45.

³¹ AkZR., IV, n. 25, p. 34; MILKOWICZ WL., *Monumenta Confraternitatis Stauropigianae Leopoliensis*, Leopoli 1895, t. I, n. 157, p. 250.

³² MILKOWICZ WL., l.c., n. 157, p. 251.

Excusationibus ab his Synodis singulis annis celebrandis praecavendis solutione multae pecuniariae provisum est.³³ Ne dicatur sine efficacia fuisse comminationem ex eo, quod nullum medium solutionum harum summarum exigendarum adesset. Nam si quis multam hanc solvere noluisset, in proxima Synodo non solum «neblahoslovenstvo et prokljatstvo», sed et depositione castigari statutum est.³⁴

Si quis autem ob infirmitatem Synodo non interfuisset, anno sequenti juramento comprobare debebat, se revera ob tale impedimentum non adfuisse, pariter ibidem statutum est. Si neque in sequentis anni Synodo quis comparuisset vel comparens juramentum emittere noluisset, sine misericordia deponendus erat, nisi aliam justam adfuisse causam demonstrasset.³⁵

Anno sequenti (1591) omnes Episcopi, sicut et ceteri, ad participationem in Conciliis adstricti,³⁶ in praefinitum locum, quamvis non tempore statuto, sine ulla excusatione se contulerunt. Acta Synodi incipiunt: «Nos, personae spirituales, qui in Synodus hanc secundum dispositionem nostram convenimus in locum statutum, in Berest ...».³⁷

Synodus haec anno 1591 celebrata dispositionem Synodi praecedentis de quotannis celebrandis Conciliis confirmavit: «dispositionem nostram de quotannis celebrandis Conciliis in omnibus confirmamus».³⁸ Ex eo vero, quod omnia necessaria in hoc Concilio jam pertractata essent et praeterea festum S. Joannis Baptistae anni sequentis non multum distaret, Synodus proximam celebrandam die junii 24 anno 1593³⁹ (quo celebrata est⁴⁰) statuerunt.

Anno 1594 dispositio haec tum quoad locum tum quoad tempus observata fuit. Celebrata enim fuit Synodus in Berest, in Lithuania, die 24 junii.⁴¹ In hoc Concilio solummodo Metropolita cum duobus tantum Episcopis — Hypatio Volodimiriensi - Berestensi et Cyrillo Luceoriensi - Ostrogiensi — et cum Archimandritis, hegumenis et presbyteris participaverunt. Metropolita, ut ipse in actibus Concilii testatur, Concilium hoc convocavit, sperans felicem redditum Principis, qui tamen non venit. Ea de causa non solum Episcopi omnes non convenerunt, sed et activitas hujus Synodi limitata evasit ad urgentiora tantum negotia judicialia expedienda,⁴² ceteris ad tempus opportunius dilatis.

³³ Magna Summa — 50 kop hrošej.

³⁴ MILKOWICZ WL., *l.c.*, p. 251 in fine.

³⁵ IBIDEM.

³⁶ Vide infra, de membris Concilii.

³⁷ Izvestija otdel. russk. jazyka ... XII (1908), f. 2, p. 65.

³⁸ IBIDEM, p. 71.

³⁹ IBIDEM.

⁴⁰ ArJZR. pars I, t. X, n. 50, p. 92-96.

⁴¹ AkZR., IV, n. 48, p. 67 ss.

⁴² Acta Synodi, in AkZR., IV, n. 48, p.68.

Sub finem ejusdem anni, die 2 decembris, celebrata est et altera Synodus, in qua omnes, praeter Leopoliensem Episcopum Gedeonem Balaban, voluntatem Unionis concludendae manifestarunt.⁴³

Hypatius Potij, Episcopus Volodimiriensis-Berestensis, Synodi convocandae necessitatem inculcans, litteris suis die 11 febbr. 1595⁴⁴ datis, Metropolitam admonet, ut quam citius Episcopos ad Synodus Berestensem, in festo S. Joannis Baptistae habendam, convocet, quae et celebrata fuit die 12 junii, in qua omnes, Balaban non excepto, ad Clementem PP. VIII litteras de Unione concludenda miserunt.⁴⁵

Indubie igitur colligitur, quod Synodi, quotiescumque in Rus' celebratae fuerunt, a Metropolitis Kioviensibus omnes convocabantur. Singulis annis Concilia celebrari non potuerunt neque revera celebrata sunt, varias ob causas, quae aliae aliis decursu saeculorum successerunt. Saeculo XVI, ob decadentiam praesertim disciplinae ecclesiasticae et ob nimiam et exageratam evolutionem juris patronatus Principum, Synodi raro convocatae fuerunt ita, ut paulatim omnino neglectae essent.

Art. 2. — Membra Concilii.

Primum Concilium, de quo acta supersunt, est Concilium Vladimirense, a Metropolita Cyrillo II anno 1274 celebratum.

De participatione Episcoporum hac in Synodo nullum est dubium. Quatuor enim convocati erant ad consecrationem Serapionis, qua peracta Metropolita « cogitavit cum sancta Synodo et cum venerabilibus Episcopis quandam perscrutationem de rebus ecclesiasticis facere ».⁴⁶

Videtur Metropolitam in hoc textu indicare, praeter Episcopos etiam alios huic Concilio adfuisse, cum distinguat inter « sanctam Synodus » et venerabiles Episcopos.

In Synodo Vilnensi anno 1509 celebrata, praeter Metropolitam, praesentes enumerantur 7 Episcopi, 7 Archimandritae, 6 Hegumeni, 7 Presbyteri aliqui Sacerdotes: « et cum omnibus hic praesentibus Sacerdotibus Synodus celebravimus ».⁴⁷

Ex Archimandritis, in Synodo praesentibus, quinque erant ex Eparchia

⁴³ IBIDEM, n. 53, p. 77 ss.

⁴⁴ IBIDEM, n. 59, p. 85.

⁴⁵ IBIDEM, n. 68, p. 94 ss.

⁴⁶ « Nyni že az pomyslych so svjatym soboram i s prepodobnymy episcopy nikako o tserkovnych veščech ispytanije izvistno tvoryty »; — RIB, VI, n. 6, col. 86.

⁴⁷ EUGENIJ, l.c., addit. n. 10, p. 42.

Metropolitana. Enumeratio horum omnium, in Synodo praesentium, habetur statim post exhortationem introductoriam Metropolitae. In fine tamen Actorum sigilla tantummodo Metropolitae et Episcoporum apposita sunt.⁴⁸

In Synodo Berestensi, anno 1590 celebrata, praeter Metropolitam et quinque Episcopos nullus alias nominatur Archimandrita, Hegumenus vel Protopresbyter. Haec, ut videtur, fuit causa, cur Synodus ista, restituta norma de Synodis quotannis celebrandis, statuerit etiam fore, ut quinam in ipsis intervenire debeant: « hac scriptura nostra disponimus Concilia et Synodos semel in anno celebrare... ad Synodos se conferre debemus omnes nos et totus clerus ».⁴⁹

Quin etiam accuratius determinatur qui ex clero in Synodos vocandi sint. Ait enim: « omnes Archimandritas, Hegumenos, Protopresbyteros et alios Sacerdotes in scientia Dei instructos e sua quisque Eparchia secum portare unusquisque nostrum tenebitur ».⁵⁰

Notandum Archimandritas, Hegumenos et Protopresbyteros necessario, sine ulla exceptione, vocando esse. E Sacerdotibus autem tantummodi ii, qui scientia Dei imbuti noscuntur. Melius adhuc patet hoc ipsum ex sanctione in non comparantes statuta: « qui autem Archimandrita — prosequitur Synodus — vel Hegumenus vel Protopresbyter in Synodo cum Episcopo suo etiamsi semel tantum non adfuerit, e dignitate sua deponendus est »⁵¹. Acta tamen et hujus Concilii a Metropolita atque Episcopis tantum subscripta sunt.

Acta Synodi Berestensis, anno 1591 celebratae, quae allusione ad Synodi anno proxime elapso celebratae dispositum de Synodorum celebrandarum tempore, loco et membris incipiunt, enumerant Metropolitam, Episcopos praesentes et deinde additur: « habentes secum Archimandritas et Hegumenos, Protopresbyteros, Sacerdotes et variae ordinationis sacrae homines, sicut etiam in praesentia distinctorum dominorum saecularium et nobilium ».⁵²

Praeter hanc generalem participantium adnotationem, nomina singulorum participantium, Metropolita et Episcopis exceptis, non amplius traduntur.

⁴⁸ IBIDEM, p. 48.

⁴⁹ « sobory ... v koždyj rok raz imity, i zjiždžatysja nam vsim i vsemu duchovenstvu »; — AkZR., IV, n. 25, p. 34.

⁵⁰ « A i majem všich archymandrytov, ihumenov, protopopov i iných prezvyterov, v pysmi Bozom naučonnych, zavždy na koždyj rok každyj z episkopstva svojeho s soboj mity »; — AkZR., IV, n. 25, p. 35.

⁵¹ « ... a kotoryj by archymandryt, abo ihumen abo protopop ne mil byty na tot sobor e episkopom svojim: takovyj každyj, takže za peršym nepryjichaniem s dostojoinstva zložen byty majet »...; IBIDEM.

⁵² « majučy pry sobi archymandrytov, i ihumenov, protopopov, jerejev, i vsjakoho svjaštenyčeskoho čynu ljudej i pry bytnosty tež jich mylosti panov svit-skych zatsnych i šljachty »; - « Izvestija », XII, p. 65.

Probabiliter hoc nihil aliud significare videtur, nisi statutum synodale anni praecedentis quam exactissime observatum fuisse, cum generalis mentio Archimanditarum, Hegumenorum et Protopresbyterorum, sine ulla necessitate singulos nomitatim enumerandi, nonnisi omnes revera praesentes significare potest.

Porro, inter praesentes dantur etiam quidam saeculares Nobiles atque notatu nobis dignum videtur illud de clero dictum « habentes secum », dum de saecularibus dicitur tantum: « in praesentia ».

E saecularibus praesentes erant etiam duo cives delegati a Confraternitate Leopolensi, ad causam in Synodo contra Gedeonem Balaban, Episcopum Leopoliensem, de possessione monasterii S. Onuphrii agendam, necnon de privilegiis hujus Confraternitatis defendendis.⁵³ Praeter hos praesentia sua Synodi celebrationi assistebat Adamus Potij, Castellanus Berestensis.

Ad probandam activam horum saecularium in Synodo participationem, non sufficit quod in ipsa dicatur: « ea quae in hac nostra communi spirituali Synodo acta sunt, praesentibus litteris notum omnibus facimus ».⁵⁴ Illi enim non ut judices, sed ut partes in causa Synodo assistebant et iste in extrema parte Decreti, a Metropolita lati, ut praesens tantum memoratur.⁵⁵

Praeterea in Decreto hac in causa lato, enumeratis nominatim Metropolita et quatuor Episcopis, dicitur: « cum venerabilibus Archimandritis et Hegumenis et Protopresbyteris et reverendis Sacerdotibus »,⁵⁶ saecularium vel Nobilium nulla mentione facta, sicuti nec diaconorum aliorumque clericorum inferiorum ordinum.

In Synodo deinde anno 1594 celebrata, praeter Metropolitam et Episcopos nomina duorum Archimanditarum, trium Hegumenorum et duorum Protopresbyterorum afferuntur « cum aliis sacerdotalis et monastici ordinis » necnon cum delegatis a Confraternitatibus octo.⁵⁷

Synodus haec de negotiis judicialibus egit, cuius Acta subscripta sunt a Metropolita et Episcopis et deinde « jussu Seniorum », ut ibi dicitur, subscripsérunt Protonotarius, duo Archimandritae, tres Hegumeni et hieromonachus-ecclesiarcha Suprasliensis monasterii.

Hi omnes, praeter Hierarchs, in Synodi disceptationibus voto decisivo carebant, ut patet ex subscriptione, quam nonnisi « jussu Seniorum » fecerunt.

⁵³ Joan Diomydovyč Krasovskyj et Jurij Kozmyč Rohatynets; - MILKWIĘC WI. o.c., I, n. 207, p. 319.

⁵⁴ *Izvestija*, XII, p. 65.

⁵⁵ « I byl pry tom jeho mylost velmožnyj pan Adam Potej kaštaljan berestj-skyj »; - IBIDEM, p. 321.

⁵⁶ IBIDEM, p. 319.

⁵⁷ AkZR., IV, n. 48, p. 67, ss.

Delegati Confraternitatum in hac Synodo nec voto decisivo neque consultivo gaudebant, quia Synodus nonnisi de negotiis judicialibus egit, ad quem finem, i. e. ad causas suarum Confraternitatum agendas, delegati fuerunt.⁵⁸

Ex hucusque traditis de Synodorum membris haec concludenda ducimus:

1. Nonnullis Synodis solus Metropolita cum Episcopis interveniebat.
2. Aliquando etiam Archimandritae, Hegumeni et Protopresbyteri vocabantur. Horum praesentia, sub poena depositionis e dignitate, obligatoria statuitur in Synodo Berestensi, anno 1590 celebrata. Sacerdotum praesentia ab Episcopis et a scientia in divinis uniuscujusque eorum pendebat; diaconi aliaeque personae e clero ordinum inferiorum, sicut et monachi, aliquando etiam in Synodis adfuerunt.
3. Saeculares ad Synodos vocabantur quotiescumque causam aliquam sive criminalem sive contentiosam cum clericis haberent; hoc ipsum honoris causa etiam aliquando factum est.
4. Disceptationum decisio ad hierarchiam spectabat. Soli enim Metropolita et Episcopi, quamvis alii in Synodis interfuerint, Acta earumdem subscribebant.⁵⁹
5. Archimandritae, Hegumeni et Protopresbyteri voto consultivo tantummodo gaudebant. Hi numquam Acta subscrivserunt, praeterquam in Synodo anno 1594 et hoc quidem « jussu Seniorum ». Diaconi autem neque votum consultivum habebant.
6. Saeculares omni prorsus voto carebant. In Synodis enim vel ut pars in causa vel propter honorem partem habebant.

Art. 3. — Synodorum competentia.

Synodorum Provincialium competentia triplex ab Auctoribus distinguitur: disciplinaris, administrativa et legislativa.⁶⁰

Ad *disciplinarem* referuntur: invigilare disciplinae canonicae observationi, appellations a judiciis Episcoporum admittere, causas inter Episcopos vel Episcopos, clericos laicosve cognoscere eosque omnes corrigere ac poenis plectere.

Ad potestatem *administrativam* spectant, quae ordinem in provincia re-

⁵⁸ « ... i dlja čyjenja spravedlyvosty područnym eparchiji našoje ljudem ukryvzonym v spravach sudu našomu podležačych »; IBIDEM. « ... s tych prycyn ohlidačysja na ses' čas ne otpravujučy, na čas inšyj otložyly jesmo; tolko spravy sudovyje, kotorych konstitutsija sejmovača ne zahorodyla, otpravovaly jesmo »; IBIDEM, p. 68.

⁵⁹ TITOV T., *Kratkaja zapyska o soborach, v osobennosti russkych*, in TKDA, 1906, II, p. 306.

⁶⁰ KURTSCHEID B., *o.c.*, t. I, p. 142.

spiciunt, uti eparchiarum erectiones, uniones, suppressiones vel earum circumscriptiones, Episcoporum institutiones ac translationes.

Potestatis demum legislativae est leges condere.

Ex quibus recensitis de sola vigilantia in disciplinam ecclesiasticam nec non de potestate legislativa hic agere intendimus. Cetera distinctis capitibus pertractanda venient.

Medio saeculo XII quaestio sat agitata de jejunii Synodorum celebrationi locum dedit. Quid tamen in concreto statutum fuerit, non satis compertum est.

E synodi Vladimiriensis (1274) Actis quandam ideam nobis efformare possumus de Metropoliae Kioviensis Synodorum uberrimis pertractationibus. Cujus tamen Synodi paucissimae numero inveniuntur causae pertractatae, si comparationem instituamus cum synodo Vilnensi (1509); Synodus autem Berestensis (1591) materiae amplitudine omnes alias longe excedit. Synodi non singulis annis, sed dependenter ab Ecclesiae necessitate celebrantur, quod aliquando sat raro fiebat, qua de causa quaestionum cumulus justificatur.

Vladimiriensis Concilii activitas ad haec reduci potest:

1) Contra simoniacas cleri ordinationes in memoriam revocans canorum praescripta salutarem fert normam, prohibentem ordinare et ordinari « pro pecunia ».⁶¹ Modicam tamen remunerationem ab ordinandis accipere permittit, quod pro tempore locum dedit abusibus et accusationibus.⁶² Contra quos inefficaciter saeculo XV novi Episcopi jurejurando fore ut nihil pro ordinatione acciperent adstringebantur,⁶³ quosque ad tollendos Synodus Berestensis, anno 1591 celebrata, necessarium duxit absolutam ferre prohibitionem.⁶⁴

2) Sacramentorum, praesertim Baptismatis et Confirmationis, administrationem rectificat. Illius per infusionem collationem prohibens, immersione fieri praecepit, in cuius administratione simultaneus olei et chrismatis usus necnon totius corporis unctio interdicitur.⁶⁵

3) Animum in cleri et populi mores convertens, clericorum ebriositatem, fidelium autem ludos indecentes coercet.⁶⁶

Ab hac ex toto discrepat Synodus Vilnensis (1509). Illo tempore patroni

⁶¹ RIB, VI, col. 86-92.

⁶² AMMANN A.M., o.c., p. 64.

⁶³ RIB, VI, col. 453.

⁶⁴ *Izvestija*, l.c., p. 66.

⁶⁵ Oleum enim et Chrisma miscebant, quo deinde totum corpus baptizandi ungabant. Synodus praecepit oleo ungere ante baptismum, quo collato deinde chrismate signare; - RIB, VI, col. 93-94.

⁶⁶ IBIDEM, col. 97-100.

ac si domini absoluti non solum fundorum sed etiam ecclesiarum et monasteriorum in eis extructorum sese gerebant, immo et clericos ipsos ut unice a se dependentes existimabant. Neque raro inveniuntur casus fundationis vel donationis ecclesiarum sub hac conditione factae, ut ab omni auctoritate ecclesiastica exemptae constituantur.⁶⁷

Quamobrem Synodus haec anno 1509 convocata fuit, cuius decreta unice fere ad hos abusus extirpandos lata sunt. Patronorum jus praesentandi, quoad substantiam, relinquitur, sed multum limitatur vel potius limites debitost excedere non permittitur.

In concreto patronis praecipit: *a)* ne sacerdotes ab ecclesiis inconsulto Episcopo amoveant;⁶⁸ *b)* qui sacerdotes autem prohibentur in ecclesiis juris patronalis absque Episcopi consensu beneficia accipere, sub poena depositionis;⁶⁹ *c)* ut candidatos non ultra tres menses a beneficii vacatione praesentent; quodsi non fecerint, Episcopus libere providebit;⁷⁰ *c)* ut candidatos dignos ad instituendum praesentent, dum Episcopis indignos ordinare interdicitur⁷¹

Synodus interdicit Episcopis: *a)* sacerdotes sine justa causa ab officio amovere,⁷² *b)* sacerdotibus viduis, concubinariis vel secundis nuptiis ligatis ordinum exercitium permittere sub poena depositionis,⁷³ *c)* subditos alias Episcopi ordinare, nisi accendant litterae dimissoriae ejusdem⁷⁴ et *d)* denique sacerdotes in alia Eoarchia excommunicatos ad celebrationes admittere. Ea de causa necessariae praescribuntur litterae commendatitiae (celebret), quae non ante quatuor hebdomadas concessae esse debent. Sacerdoti si, Eparchia relicta, alio transire velit, novae litterae commendatitiae ab ultimo Episcopo concedendae sunt.⁷⁵

Synodus Berestensis, a 1590 celebrata, confirmavit normas illius Vilnensis de non ordinandis concubinariis necnon de necessitate litterarum testimonialium, statuitque praeterea beneficia ecclesiastica non esse laicis concedenta atque Episcopis exercitium Ordinum in aliena Eparchia interdixit.⁷⁶

Demum Synodus Berestensis, anno 1591 celebrata, considerari oportet omnium amplissima ob inumeras quaestiones pertractatas:

a) Ordinationes simoniaceae Decretis hujus Synodi vetantur;

⁶⁷ AkZR., I (a. 1399), n. 14, p. 27; (a. 1443), n. 43, p. 57.

⁶⁸ EUGENIJ, *o.c.*, addit. n. 10. p. 45.

⁶⁹ IBIDEM, p. 46.

⁷⁰ IBIDEM, p. 46.

⁷¹ IBIDEM, p. 43.

⁷² IBIDEM, p. 45.

⁷³ IBIDEM, p. 44.

⁷⁴ IBIDEM, p. 43.

⁷⁵ IBIDEM, p. 43.

⁷⁶ AkZR., IV, n. 25, p. 35 ss.

- b) Episcopis praecipitur ut moderationem in poenis clericis infligendis servent;*
- c) ac ut clericos nonnisi debite examinatos ordinent;*
 - d) sacerdotes autem secundis nuptiis ligatos ab ordinum exercitio ut amoveant, secundum Patriarchae Jeremiae II instructionem;⁷⁸*
 - e) Episcoporum libera electio contra jus patronatus⁷⁹ iterum vindicatur;*
 - f) translationes autem vetantur;*
 - g) Metropolitae ipsi et Episcopi ab archimandriarum possessione in posterum omnino excluduntur;*
 - h) Sacramentorum nonnullorum administratio reordinatur;*
 - i) Chrismatis accipiendi obligatio urgetur;*
 - j) Confraternitatum activitati normae praescribuntur circa scholas apriendas;*
 - k) necnon libri sine praevia Episcopi censura edi prohibentur;*
 - l) demum de ipsius Synodi provincialis omnibus justitiam administrandi obligatione agitur, qua stabilita et termino Synodi proxime celebranda designato, Acta hujus Synodi clauduntur.*

⁷⁷ Acta invenies in *Izvestija*, l.c., p. 65-71.

⁷⁸ MILKOWICZ Wl., o.c., t.I, n.137, p. 208-210.

⁷⁹ Cfr. Cap. III, art. I, § III, hujus dissertationis.

METROPOLITA ET EPISCOPI

ART. 1 - DE EPISCOPORUM INSTITUTIONE. — ART. 2 - DE COADIUTORUM INSTITUTIONE. — ART. 3 - DE EPISCOPORUM TRANSLATIONE.

CAPUT III

METROPOLITA ET EPISCOPI

Art. 1. — De Episcoporum institutione.

In electione Episcoporum antiquitus participabant ordinarie non solum Episcopi Provinciae, sed et clerus cum populo determinatae Ecclesiae.¹ Deinde, loco populi subintraverunt Optimates.²

Votum populi sicut et cleri in hujusmodi electionibus non erat decisivum, sed, secundum S. Cyprianum, expetebatur tantum prout testimonium de vita et moribus candidati, proinde in casu malae electionis a populo factae, Episcopi libere alium designare potuerant.³

Provisio Ecclesiarum inde a periodo Ecclesiae, quae tempora Constantini sequitur, canonibus Conciliorum ordinata est.

Canone quarto primi Concilii Oecumenici norma statuitur generalis, ut Episcopi a ceteris Episcopis comprovincialibus eligantur.⁴ Non semper tamen omnes Episcopi tam facile convenire potuerunt. Aliquando difficultas oriri poterat ex ipsa physica impossibilitate, v. g. ob morbum, sive ex impossibilitate morali, puta ob necessitatem aliqua determinata die in sua dioecesi manendi, sive denique — et hoc praesertim si Provincia ecclesiastica latius extendebat — ob magnam locorum distantiam. Omnibus his canone illo Nicaeno providebatur; statuitur nempe absolute in tali casu necessarium esse, ut saltem tres Episcopi convenient, secum aliorum in scriptis consensum ferentes et ita ad electionem procedant.

Aliis verbis, si omnibus Episcopis convenire impossibile evasisset, convenire debuissent saltem tres, quodsi neque hi potuissent simul congregari, electio locum minime habere posset.⁵

¹ N. MILAŠ, *Das Kirchenrecht der Morgenlaendischen Kirche*, Mostar 1905, p. 357.

² AE. HERMANN, *Appunti sul diritto Metropolitico della Chiesa Bizantina*, in « Orient. Chr. Per. », XIII (1947), n. 3-4, p. 529.

³ HEFELE-LECLERCQ, *Histoire des Conciles*, Paris 1907-49, t. I, p. 544 ss.

⁴ I.B. PITRA, *Juris ecclesiastici Graecorum historia et monumenta*, Romae 1864-1868, t. I, p. 428.

⁵ HEFELE-LECLERCQ, o.c., t. I, p. 545.

Canon autem Nicaenus intelligendus est sive de electione, ut palam est, sive etiam de consecratione.⁶ Secundum primum concipiendi modum, ut electio ad actum deduci possit, convenire debebant saltem tres Episcopi, praeter Metropolitam, qui tamen in electionibus non interveniebat, sed eas confirmabat.⁷ Ad consecrationem vero duo Episcopi sufficiebant, ut cum Metropolita hunc actum paragerent, Electionis approbatio ad Metropolitam spectabat, qui Provinciae caput est.⁸

Similis praescriptio habetur jam in primo canone Apostolorum, cuius regula non solum de consecratione, sed etiam de electione intelligi potest.

Synodus Antiochena canone 19,¹⁰ praescriptionem canonis Nicaeni repetens, sub poena nullitatis, Metropolitae obligationem imposuit, Synodus pro electione convocandi¹¹ simulque statuit, in casu contradictionis electorum, prævalere sententiam majoritatis. Praescriptio Nicaena etiam canone 12 Laudicenae Synodi inculcatur.¹²

Justinianus in novellis 123, c. I, § 1 et 137, c. 2 clero et Optimatibus prescrispsit, ut, quoties opus sit, tres candidatos seligerent, e quibus unum eligere illius est, cuius est consecrationem impertire, in nostro casu Metropolitae.¹³ De Episcoporum Concilio nullus est sermo in illis novellis. Nullo tamen modo concludendum est, eum Episcopos omnino excludere voluisse, cum potius supponendum sit, eos simul cum Metropolita unum e tercio proposito elegisse.¹⁴ Haec praescriptio multis abusibus originem dedit,¹⁵ qui ut amoverentur, Concilii Nicaeni II canone 3¹⁶ Episcopi, sub poena depositionis, vetiti sunt saecularium magistratum auxilio Ecclesiam obtinere posse, et tandem canone 22 Con. Constantinopolitani IV¹⁷ populus et clerus omnino arcebantur ab Episcoporum electionibus, quae in posterum soli Episcoporum provincialium Concilio reservatae manent. Unde inutiliter Commentatores graeci probare conati sunt, jam vi canonis Nicaeni populum ab hujusmodi electionibus amotum fuisse.¹⁸

Jus Metropolitae consecrandi electos Episcopos summarie in canone 28

⁶ B. KURTSCHEID, *Historia Institutionum juris canonici*, Romae 1941, t. I, p. 105; HEFELE-LECLERCQ, *l.c.*, p. 546.

⁷ Ex eodem canone; AE. HERMANN, *l.c.*, p. 542.

⁸ Nic. 4.

⁹ N. Suvorov, *Učebnik*, c. 97, p. 333.

¹⁰ I.B. PITRA, *l.c.*, p. 463.

¹¹ B. KURTSCHEID, *l.c.*, p. 105.

¹² I.B. PITRA, *l.c.*, p. 497.

¹³ P. SOKOLOV, *o.c.*, p. 8.

¹⁴ AE. HERMANN, *l.c.*, p. 529, nota 2.

¹⁵ N. MILAŠ, *o.c.*, p. 359.

¹⁶ I. B. PITRA, *o.c.*, t. II, p. 106.

¹⁷ MANSI, *Collectio...*, t. XIV, col. 419 ss.

¹⁸ HEFELE-LECLERCQ, *o.c.*, t. I, p. 547.

Chalcedonensi fundatur; ejusdem Concilii can. 25 praecipit, ut intra tres ad summum menses ordinationem ipse faciat.¹⁹

I. Vastus ille terrarum Europae Orientalis tractus, qui olim sub nomine Rus' veniebat, fidem christianam a Graecis accipiens simul et Hierarchiam accepit, quae Hierarchia sine dubio disciplinam canonicam Ecclesiae-matris in nova etiam Ecclesia-filia, in Metropolia nempe Kiovensi, servandam curavit. Difficultates certe non defuerunt. Imprimis in ipsis initiis organizationis ecclesiasticae in Russia non multi aderant Episcopi Provinciam Kiovensem efformantes, ex altera vero parte nimia locorum distantia difficillimam eorum in Synodis praesentiam reddidit.

Chronica Novhorodensia sub anno 988 (6496) referunt, S. Volodimirum a Patriarcha Photio Metropolitam Leontium et pro Sede Novhorodensi Episcopum Joachim e Korsun accepisse, pro aliis vero civitatibus alias Episcopos, presbyteros et diaconos.²⁰

Sic, praeter Sedem Metropolitam Kiovensem, inde ab ipsis conversionis initio, etsi non parum a Metropoli distans, saltem unus aderat suffraganeus Episcopus.

Sub anno autem 992 (6500) in Chronicis Niconis legimus, institutos fuisse a Metropolita Leontio quatuor Episcopos natione graecos pro Sedibus Russiae: Neophitum Cernyhoviensem, Nicetam Bilhorodensem, Theodorum Rostoviensem et Stephanum Volodimiriensem

Paucis ergo annis post conversionem habemus jam Metropoliam Kiovensem cum quinque Episcopis suffraganeis. Ex hoc tempore in Rus' eligi jam potuerunt Episcopi synodaliter, quia numerus Episcoporum provincialium sufficiens erat ad satisfaciendum requisitis canonum antiquorum, hanc respicientibus materiam. Sedes Novhorodensis necnon Rostoviensis omnium maxime a Sede Metropolitanam distabant, quorum titulares ob itineris longitudinem in Concilium saepe-saepius convenire non potuere. Sed prope ipsam Metropolitanam Sedem tres alii aderant Episcopi, qui hujusmodi impedimento non distinebantur. Fortasse ad hunc finem Sedes hae institutae fuerunt, ut praesto sint Episcopi Metropolitanus, ad negotia mioris momenti synodaliter pertractanda.²¹

Usque ab anno saltem 992 ex parte Episcoporum electorum nihil obstabat, quominus Episcopi a Synodis provincialibus eligerentur. Ex parte

¹⁹ Cfr. I.S. BERDNIKOV, *Kratkij kurs tserkovnago prava pravoslavnoj greko-rossijskoj tserkvi*, Kazan 1913, p. 36.

²⁰ PSRL., t. III, p. 207.

²¹ PSRL., t. X,...; TATIŠČEV, *Istoriija Rossijskaja*, t. II, p. 79.

²² FILARET, *o.c.*, t. I, 1, p. 113.

vero Metropolitarum Kioviensium e Graecia missorum disciplina canonica Byzantina certe non ignorabatur. Neque probabiliter defuerunt candidati apti ad Sedes episcopales. Aderant enim in Rus' christiani jam antequam ipse Volodimirus baptismus susciperet.²³ Tempore vero posteriori Metropolitae graeci e Constantinopoli venientes monachos e patria sua ad vacantes Sedes episcopales in Russia occupandas secum ducebant.²⁴ Aderat etiam monachatus et praesertim Pečerskensis Lavra, quae ad medium saeculum XV suppeditavit circa 50 candidatos ad Episcopatus.²⁵ Nullum ergo requisitum definiebat, quominus in Rus' Episcopi secundum canones antiquos eligerentur.

Filaret (Gumilevskij) in sua *Historia Ecclesiastica* hanc sententiam plene confirmat.²⁶ Metropolita enim Kioviensis, ut ipse dicit, secundum spiritum primaevae Ecclesiae primus erat inter Episcopos, qua de causa ipse novos Episcopos secundum canones 4 et 6 primi Concilii constituebat. I.S. Berdnikov idem asserit,²⁷ addens tamen electiones Episcoporum, praeterquam ad Metropolitam et Synodus provincialem, ad Principes etiam spectasse. Ejusdem sententiae est etiam N. Suvorov.²⁸

E. Golubinskij autem omnino negat electiones Episcoporum periodi prae-mongolicae, sicut etiam mongolicae, factas fuisse ad normam ss. canonum.²⁹

Chronica contemporanea usque ad saeculi XII initium, quoties de provisone sedis alicujus vacantis mentionem faciunt, paucis solummodo verbis adnotant Metropolitam ordinasse («postavy») N. N. Episcopum NN.

Vox «postavy» quae latine sibi vult dicere «ordinare», significat hic tum electionem tum etiam consecrationem. Metropolita, ut scimus, ex jure communi partem activam in ipsa electione non habebat, proinde hoc sensu verbum hoc ei applicari non potest. Attamen ipse eligebat unum e tribus candidatis sibi propositis eumque consecrabat. Cum nihil aliud in brevibus hisce notitiis dicatur, praeter «postavy», quoties ad Metropolitam hoc refertur, intelligendum existimamus tum de electione unius e tribus candidatis ab Episcopis propositis, tum etiam de consecratione candidati a se ipso confirmati.³⁰

Anno 1160 Patriarcha Lucas Chrysoberges, negans elevationem Vladimiriae in Metropoliam, in scripto suo ad Principem Andream Bogolubskij arguit ex eo, quod «Vladimir simul cum Rostov et Suzdal ex antiquo unam Epar-

²³ E. GOLUBINSKIJ, *o.c.*, t. I, 1, p. 344.

²⁴ S. TOMAŠIVSKYJ, *o.c.*, p.

²⁵ E. GOLUBINSKIJ, *o.c.*, t. I, 1, p. 348.

²⁶ IBIDEM, p. 102.

²⁷ I.S. BERDNIKOV, *o.c.*, p. 8.

²⁸ N. SUVOROV, *Kurs tserk. prava*, t. I, p. 133.

²⁹ E. GOLUBINSHIJ, *o.c.*, t. I, 1, p. 161.

³⁰ O. LEVYTSKYJ, *Osnovyje čerty vnutrenjago stroja zapadno-russkoj tserkvy v XVI i XVII vv.*, in «Kievskaja Staryna», 1884, IX, p. 628; I. S. BERDNIKOV, *o.c.*, p. 8.

chiam efformabat, cuius Episcopus instituebatur a Metropolita totius Russiae, qui a nobis et sancta et magna Ecclesia ordinatur et mittitur ibidem».³¹

Pro utroque actu adhibetur idem verbum «stavym»: Episcopus illius dioecesis instituebatur a Metropolita, sicut et ipse Metropolita a Patriarcha instituitur et mittitur.

Scimus autem quomodo Metropolitae Kiovienses instituebantur. A Synodo endemousa tres eligebantur candidati, unus vero e terno proposito a Patriarcha confirmabatur et consecrabatur. Patriarcha Lucas, agens de Metropolita Kioviensi, certe utrumque indicare voluit, electionem nempe et consecrationem, nulla facta distinctione.

Initio saeculi XII invenimus in Chronicis dictiones, quae significare possunt provisionem synodaliter factam, quae testimonia non sunt adeo clara, ut cum certitudine iisdem possimus uti ad probandum, illo tempore Episcopos in Metropolia Kioviensi secundum canonum praescriptionem institutos fuisse. Et sic sub anno 1113 dicitur in plurali: «ordinaverunt Theoktistum Episcopum Cernyhoviensem».³² Neque indicatur quisnam instituerit, neque ubi, neque quanti adfuerint Episcopi, quorum ergo nihil nobis notum est. Anno autem sequenti dicitur tantum: «ordinaverunt Danielem Episcopum», nulla civitate indicata.³³ Similiter et sub annis 1119 et 1123.³⁴ Anno 1227 legimus, Metropolitanum Cyrillum cum quatuor Episcopis ordinasse Metrophanem, Episcopum Suzdalensem, Vladimiriensem et Jaroslavlensem.³⁵

Comparatione saeculis cum praecedentibus instituta, haec parva adnotatio in ordinatione anni 1227 jam multum nobis dicit. Ante Tartarorum invasionem novimus, Sedes Metropolitanana Kioviae semper mansit. Ordinatio vero episcopal, de qua supra, facta est Vladimirae. Probabiliter Metropolita, qui paucis ante annis Sedem Metropolitanam occupaverat, visitationem peragens, Episcopos viciniores convocavit, ut provideretur necessitatibus illarum dioecesum et hac occasione Episcopum Vladimiriensem instituit. Quinam fuerint hi Episcopi in Chronicis non dicuntur. Fortasse fuerunt titulares earumdem Sedium, quarum titulares, in altera medietate ejusdem saeculi, a Metropolita Cyrillo II (1249-1281) iterum Vladimiriae convocati sunt.

Anno nempe 1274, ut tradunt Chronica Niconis,³⁶ venit Kiovia Vladimiriā Metropolita Cyrillus II, Serapionem, Archimandritam Pečerskiensem, in

³¹ RIB, VI, col. 65.

³² Lavrent., in PSRL., I, p. 127.

³³ IBIDEM.

³⁴ IBIDEM, p. 128.

³⁵ IBIDEM, p. 190.

³⁶ Chr. Niconis, in PSRL, X, p. 152.

Episcopum Vladimiriae et Suzdal candidatum secum portans. Chronica autem Voskresenskaja Eparchiae Vladimiriensi et Suzdal adjungunt etiam Navhorod Nyžnyj.³⁷

Ex sola tamen Annalium narratione coniici nequit cum certitudine, an revera convocata fuerit Synodus metropolitana, nisi alii fontes praesto adesent. Attamen ex inscriptione litterarum ipsius Metropolitae Cyrilli, quae «Pravylo» seu «Regula» dicuntur, omne dubium evanescit. In hac enim inscriptione expresse dicitur «Pravylo Cyrilli, Metropolitae Russiae et participantium Episcoporum: Dalmati Novhorodensis, Ignatii Rostoviensis, Theognosti Perejaslavliensis, Simeonis Polocensis, in ordinatione Serapionis episcopi Vladimiriensis».³⁸

Dubitatur tamen utrum ordinatio («postavlenije») haec anni 1274 intelligenda sit sensu electionis an tantummodo consecrationis?

Pro consecratione duo Episcopi praeter Metropolitam omnino sufficerent. Hic vero non casualiter quatuor convenisse legimus; ipsa vero inscriptio «Regulae» indicare videtur, scopum primarium hujus conventus fuisse «postavlenije» novi Episcopi.

Duo haec facta ejusdem saeculi, sub duobus Metropolitis, non solum quoad originem diversae nationis, sed et sub omnino differenti conditione politica locum habuerunt. Primus enim Metropolita graecus fuit, alter vero russus: ille Kioviae vixit, dum ipsa gloria et fulgore plena erat, atque merito vocabatur «princeps et mater urbium russarum»; iste, post devastationem ejusdem Kioviae, ita ut in ipsa nec residere potuerit.

Si Metropolita Cyrillus I, secundum disciplinam, Episcopum institui curavit anno 1227, eodem etiam modo fecit, data occasione, statim post suam in Metropolitanam Sedem provisionem; similiter et alter, si ad Serapionem eligendum Synodum convocavit 1274, certe et anno suae mortis non aliter fecit ad Episcopos instituendos.

Ex hucusque traditis fortasse licebit concludere, hanc disciplinam ad normam canonum per integrum saeculum XII revera observatam fuisse.³⁹

«Anno 1300 venit in Novhorod Metropolita Maximus, cum Episcopo Rostoviensi Simeone et Episcopo Tverskiensi Andrea et ordinaverunt («postavlyša») Archiepiscopum Novhorodensem Theoktistum; elegerunt eum in Ecclesia SS. Borys et Hlib, die 28 junii, eodem mense et consecraverunt eum in S. Sophia, in festo Apostolorum Petri et Pauli»; sic Annales antiqui.⁴⁰

³⁷ PSRL, VII, p. 172; XXIII, p. 89; Etiam *Chr. Niconis*, sub anno sequenti referentia de ejus morte enumerant Novhorod Nyžnyj.

³⁸ RIB, VI, col. 83.

³⁹ De ultimis 19 annis saec. XIII ex sequentibus clarefiet.

⁴⁰ 1 Novh., PSRL, III, 67; 4 Novh., PSRL, IV, 251; Sophijsk., PSRL, V, 203; Lavrent., PSRL, I, 209.

Prima vice in historia Kioviensis Ecclesiae invenimus sic expressam claris verbis praxim ipsius Metropoliae. Omnino distinguitur utrumque momentum: canonicum et religiosum, electio nempe et ordinatio. Ad majorem adhuc evidentiam nota, electionem factam fuisse alia die et in alia ecclesia ac ipsam consecrationem. Quoad « postavyša », in hoc casu nullum remanet dubium, hoc verbum significare tum electionem tum consecrationem: in prima enim pericope uno verbo « postavyša » utrumque complectente, dicitur id, quod deinde in altera per partes explicatur.

Idem hoc factum in aliis Chronicis terminis generalioribus narratur, v. g. in Voskresenskaja⁴¹ dicitur: « illo anno Metropolita Maximus fuit Novhorodii, cum eo autem Episcopi: Rostoviensis Simeon et Tverskiensis Andreas, et ordinavit (« postavy ») cum iis Archiepiscopum Novhorodensem Theoktistum, 29 junii », et nihil aliud. Nihil dicitur de electione, nisi verbo « postavy » subintelligendam putes. Parcius adhuc hoc ipsum exprimitur in Chronicis Ermolinskaja: « illo anno Metropolita Maximus profectus est Novhorodum et ordinavit (« postavy ») Archiepiscopum Theoktistum, 29 junii ».⁴²

Nunc, ni fallimur, clare appareat, quomodo idem factum diverso modo in Chronicis narratur. Ex textu ultimo loco citato dubium nobis oriri posset, utrum verbum « postavy » intelligendum sit de consecratione tantum, an etiam de electione.

Neque Chron. Voskresenskaja, de quibus dictum est amplius, solverent nostram incertitudinem ex eo, quod duo Episcopi cum Metropolita, ad normam canonum, sufficerent ad consecrationem novi Episcopi peragendam, minime vero ad ejus electionem. Et ita dicere deberemus, Metropolitam Maximum cum duobus illis Episcopis, Simeone et Andrea, Theoktistum solummodo consecrasse, si in auxilium nostrum alia Chronica nihil dicerent.

Nunc, credo, facilius intelligi illa Annalium, inde a conversione Regni Rus' usque saltem ad initium saeculi XII, de provisione sedium uno verbo « postavy » vel « postavyša » relata. Consequenter nullam admirationem excitare debet nostra assertio, Metropolitas Kiovienses in provisione Sedium processisse ad normam ss. canonum.

Saeculo XIV, sub Metropolita Theognosto (1328-1353), successore Metropolitae Petri (1308-1326), qui et ipse Maximo (1283-1305) successit, nota sunt nobis documenta de provisione quarundam Sedium episcopalium ab ipso facta. Sunt vera documenta, non Annalium tantum narrationes.⁴³ Haec documenta

⁴¹ PSRL, VII, 182.

⁴² PSRL, XXIII, 95.

⁴³ Haec documenta graece conscripta inventa sunt a W. Regel in Archivo Vaticano, ab ipso dein in « *Analectis Byzantino-russicis* », 1891, p. 52-56, publicata, de quibus etiam V. H. Vasilevskij (JMNPr., 1888, II, 445-463) egit, quae tandem ab A. Pavlov inter monumenta veteris juris russici adnumerata inveniuntur (RIB, VI, Suppl. col. 431-446).

referuntur ad provisiones Sedium in tota Metropolia Kioviensi: in parte ejus omnino occidentali (Halyč, Volodymyr), in centrali, septentrionali et etiam meridionali secundum notitias in his documentis inventas. Electiones fiebant vel in ipsa civitate proprio Episcopo orbata, et igitur Sede vacante, vel aliquando etiam extra eam. Sic Episcopus Basilius Novhorodensis (1331) electus fuit non in Novhorod, neque in aliqua ex Eparchiis vicinioribus, sed in Occidente, Volodimiriae in Volhinia; Metropolita enim Theognostus a martio-aprili 1330 usque ad mensem majum 1332 in hac parte suae Metropoliae mansit;⁴⁴ et propterea Episcopi Volodimiriensis, Haliciensis, Cholmensis et Peremysliensis, qui soli in hac electione intervenerunt, ob distantiam Novhorodum se conferre noluissent, dum Episcopi Rostoviensis et Suzdalensis, vel quicumque alii in hisce partibus sedes suas habentes, facilius convenire potuissent; insuper et Chronica ipsa referunt Basilium in Volhiniam, in Volodymyr se contulisse «na postavlenje».⁴⁵

Quoad Episcoporum in Sedium provisione participationem dicendum est, Episcopos Metropoliae Kioviensis occidentales majori numero in electionibus participasse, quam Episcopos septentrionales et orientales ejusdem Metropoliae. Ex 6 electionibus, de quibus in partibus occidentalibus locum habuere scimus, solummodo in una aderant tres Episcopi, in ceteris semper quatuor, et in electione Episcopi Brjansensis quinque. In partibus vero septentrionalibus in electionibus, quae ibi noscuntur ex documentis septem, aderant semper duo, exceptis tantummodo electione in Suzdal (1330), ubi participaverunt tres, et Saraj (1334), in qua partem habuerunt quatuor.

Episcopi in Synodo participantes electiones peragebant non soli, sed, secundum canones, cum consensu ceterorum coepiscoporum absentium. Utrum scriptis an verbis tantum consensus talis dabatur, ad normam canonis 4 Nicaeni, putamus consensum in scriptis datum fuisse. Saeculo enim sequenti habemus jam hucusque conservata exemplaria talium documentorum,⁴⁶ ab Episcopis Metropolitano suo elargitorum.

Candidati eligebantur semper tres, ut evidenter apparet ex omnibus hisce documentis. Unum e tribus propositis eligere ad consecrandum, etsi ibi de hac re nihil dicatur, indubie ad Metropolitam spectasse tenendum est.

Difficultatem aliquam potest praebere casus ille Episcopi Novhorodensis Basillii, qui postquam Novhorodensium more electus est, i.e. sorte («žerebom») e tribus determinatus, missus est ad consecrationem a Metropolita accipiendo. Inter provisiones Metropolitae Theognosti, supra recensitas, habetur etiam electio hujus Basillii, ubi dicitur, Episcopos praesentes (enumerantur

⁴⁴ E. GOLUBINSKIJ, o.c., t. II, 1, p. 154.

⁴⁵ Chr. Niconis, PSRL, X, 204-205; I Novh., PSRL, III, 75.

⁴⁶ RIB, VI, nn. 92, 106, 109, 111, 121; cfr. n. 52.

cum consensu absentium tres candidatos elegisse, inter quos erat Basilius, missus e Novhorod.⁴⁷ Proh dolor! Chronica non tradunt alia nomina coelectorum Basili in Novhorod.

Duplex suppositio ibi fieri potest: tres hi candidati ab Episcopis electi aut sunt iidem ac electi in Novhorod, aut non sunt. In primo casu hoc significaret Concilii Episcoporum jus praesentandi Metropolitae tres candidatos fuisse jam valde restrictum,⁴⁸ cum in praesenti casu ad meram formalitatem reduceretur; sin aliter, non tam Episcoporum ius, quibus ceterum saltem duos alios candidatos praesendandi ius relinquebatur, quam Metropolitae libertas limitabatur, cum unum determinatum e tribus eligere debuerit extrinseca voluntate coactus.

Quidquid sit, soli Episcopi Novhorodenses tali modo instituebantur, quoad ceteras autem Eparchias jus metropoliticum in canonibus stabilitum intactum mansit. Et hoc bene explicari potest ex ipso valore politico istius civitatis temporibus Joannis IV, Ducis Moscoviae.

Itaque manet extra dubium, ista prima medietate saeculi XIV, ut ex supra expositis patet, electiones Episcoporum a Concilio provinciali factas et Metropolitarum Kioviensium potestatem juxta canones exercitam fuisse.

In Missalibus saeculi XIV ordo solius consecrationis Episcoporum referitur;⁴⁹ quomodo autem ipsa electio fiebat, documentum scriptum nobis extat subsequentis saeculi.⁵⁰ Quae de electionis modo ibi dicuntur, conscripta esse videntur medio saeculo XIV, sub Metropolita Theognosto.⁵¹

Prout in ipso refertur documento, electio sic procedebat: vacante aliqua Sede episcopalni suffraganea, Metropolita in Synodum convocabat omnes Episcopos sibi subjectos, qui sub poena depositionis convenire tenebantur. Si aliquis Episcopus, ob infirmitatem vel quandam necessitatem, adesse non potuisset, Metropolitae documentum, manu propria conscriptum mittebat, consensum in omnia quae in Synodo pertractanda et conficienda essent, continens et praesertim consensum in electionem novi Episcopi.

Statuta die omnes ad Metropolitam sese conferebant, qui, et absentium consensum scriptum habens, praesentibus Episcopis nomen Eparchiae vacantis communicabat, ut dignum futurum sibi collegam eligerent.

Episcopi, mandato accepto, in ecclesia preces persolvebant; orationibus

⁴⁷ IBIDEM, addit. col. 444.

⁴⁸ P. SOKOLOV, o.c., p. 267-269.

⁴⁹ A. NESELOVSKIJ, *Cyny Chyrotonesij i chyrotonij*, Kamenets Podolsk 1909, p. 275.

⁵⁰ Documentum hoc asservatur in Archivo Metropoliae Haliciensis, cuius variae publicationes factae sunt. Cfr. RIB, n. 52; TKDA, 1902, II, p. 134 ss.

⁵¹ T. TITOV, *Postavlenije vo dijakona i sviaščenika i izbranije epyscopa v drevnej zapadno-ruskoy ily kijevkoj Mytropoliji v XIV-XVI, vv.*, in TKDA, 43 (1902), II, p. 134, nota 1.

deinde peractis, cum Actuario⁵² et Protonotario⁵³ metropolitano consedebant. Praeter quos nemo alias electionibus adesse poterat, immo neque prope ecclesiam morari, « ne forte audiret, quae loquentur ».⁵⁴

Unus post alterum Episcopi proponebant candidatos sibi notos, ex quibus omnibus ita propositis tres eligebantur, quorum nomina Protonotarius, jubente Archivario, in scripto referebat. Scripturam hanc Episcopus senior a se obsigillatam tradebat Archivario, ut demum Metropolitae traderet. Metropolita hac accepta scriptura et prope Iconam SS. Salvatoris vel Beatae Virginis Deiparae deposita, plurimas persolvebat preces ac tandem, aperto scripto, e tribus nominibus ibi contentis unum libere eligebat.

Ex hoc modo procedendi, saeculo XV in scriptis relato, clarissime apparebant electiones Episcoporum secundum canones peractas fuisse. Metropolita enim convocat Episcopos ad normam c. 4 Nicaeni, qui omnes adesse tenentur, nisi propter « instantem necessitatem aut propter itineris longitudinem » excusentur et in tali casu « per scripta consentientibus », ut electio celebretur, ad normam ejusdem canonis. Candidatos eligunt soli Episcopi (II Nic. c. 3; IV Const. c. 22), cui electioni firmitas a Metropolitano tribuitur (Nic. c. 4).

Talis certe erat praxis Episcoporum eligendorum initio saeculi XV, ex quo documentum extat. Quo documento innixi, disciplinam hanc et antea viguisse deducendum est. Immo et amplius audemus dicere: nempe, duobus fere saeculis ante hunc terminum eadem omnino viguit disciplina, quamvis documenta expresse hac de re loquentia non habentur.

Hoc enim documentum per se probat proximū initio saeculi XV, nihil tamen refert de electione Episcoporum saeculorum antecedentium. Scriptum hoc historiographi referunt ad annum 1423,⁵⁵ i.e. ad tempora Metropolitae Photii (1408-1431). Sed si Photius hoc anno sic Episcoporum electiones fieri curavit, non sine ratione eum et initio sui Metropolitici Officii talem modum observasse praesumitur. Repentina enim revolutio in tali materia et quidem in vita unius ejusdemque Metropolitae est incomprehensibilis, imo et impossibilis. Nec desunt facta hanc sententiam comprobantia. Imprimis ipse Photius in litteris institutionis Episcopi Vladimiriensis, cuius nomen incognitum manet, ita loquitur: « ea de causa et ego, potestate Spiritus Sancti Vivificantis mihi collata, elegi cum sacro Archiepiscoporum et Episcoporum Concilio monachum presbyterum N.N. et ordinavi eum Episcopum in... Vladimiriam ».⁵⁶

⁵² JOS. ZISMAN, *Die Synoden und die Episkopal-Amter in der Morgenlaendischen Kirche*, Wien 1867, p. 144.

⁵³ IBIDEM, p. 138.

⁵⁴ RIB, VI, n. 52, col. 442.

⁵⁵ RIB, VI, n. 52, col. 437 ss.

⁵⁶ IBIDEM, col. 419. Data documento apposita est 1414 (6922). Cum tamen loquatur de pace in Metropolia restituta, referendumtur, est videtur, ad annum 1420.

Deinde anno 1416, uti referunt *Chronica Sophijskaja*,⁵⁷ Photius Metropolita instituit (« postavy ») Sampsonem Episcopum Novhorodensem, ipse cum quinque Episcopis: Gregorio Rostoviensi, Metrophane Suzdalensi, Antonio Tverskiensi, Thimoteo Sarajensi et Isaac Permskiensi.

Praedecessor autem Photii, Metropolita Cyprianus (1390-1406), anno 1396 synodaliter (cum quinque Episcopis) instituit Gregorium Rostoviensem,⁵⁸ nec non anno 1391 similiter et Episcopum Tverskiensem Arsenium⁵⁹ et sic enumerando pervenimus usque ad Metropolitam Theognostum, de quo et de cuius praedecessoribus superius jam dicta sufficiunt.

II. Usque ad medietatem saeculi XII Episcopi Novhorodenses a Metropolitis Kiovienibus instituebantur sicut et ceteri. Mittebantur e Kiovia, probabiliter non a Principe, sed a Metropolita absque ullo Novhorodensium interventu.⁶⁰

Post mortem tamen Arcadii, qui successor fuit Niphontis, anno 1165 Sedem Novhorodensem obtinuit Helias, Principe Jaroslav regnante.⁶¹

Post Heliam Novhorodenses cum Principe Mstystav et cum Hegumenis et Presbyteris civitatis elegerunt Gabrielem, fratrem praedecessoris et peracta electione petitionem miserunt Kioviam, ad Metropolitam, pro consecratione,⁶² Metropolita misit legatos suos, qui candidatum Kioviam adducerent; Novhorodenses implentes mandatum miserunt Gabrielem cum eleemosynis,⁶³ qui anno sequenti revera consecratus fuit.⁶⁴

Ex Annalium relatione modum provisionis Sedis Novhorodensis sic delineare possumus: Post mortem Episcopi omnes cives Novhorodenses — Princeps, populus, Krylos (*Capitulum*) Ecclesiae Cathedralis, Presbiteri civitatis, Hegumeni et monachi — proprium eligebant candidatum.⁶⁵ Electum in Sedis possessionem introducentes⁶⁶ nomen ejus Metropolitae communicabant, qui electionem approbans, jubebat candidatum ad se adduci. Candidatus tandem cum donis ad Metropolitam se conferebat ab eoque consecrabatur. Aliquando tamen inter electionem et consecrationem plurium annorum intercedebat spa-

⁵⁷ PSRL, V, 260.

⁵⁸ *Voskresenska*, PSRL, VIII, 69.

⁵⁹ IBIDEM, p. 61.

⁶⁰ E. GOLUBINSKIJ, *o.c.*, t. I, 1, p. 360.

⁶¹ 4 Novh., PRSL, IV, 160.

⁶² IBIDEM, p. 173.

⁶³ « i poslaša s ljuboviju »; - IBIDEM.

⁶⁴ IBIDEM.

⁶⁵ « use ot mala i do velyka »; - IBIDEM.

⁶⁶ Arcadius, Niphontis successor, antequam consecraretur sic introductus est: « donec veniat metropolita », et solummodo post duos annos a Metr. Constantino consecratus est; 4 Novh., PSRL, IV, pp. 155, 158.

tiūm. Fortasse hoc intervallo competentia discutiebatur, vel candidatus non in omnibus Metropolitae probabatur.

Perfectius adhuc cognoscemus modum electionis Episcoporum in Novhorod ex sequentibus, ubi videbimus, illos qui proponunt candidatum graecum sese exprimere, ut Metropolita unum e tribus eligat, cui propositioni obstabat Princeps. Videbimus etiam « sortes » seu « Žereby » consistere in nominibus scriptis ac in altari depositis.

Post mortem Antonii (1229) jussu Principis ad electionem processum fuit. « Nonnulli dixerunt: habetur monachus quidam in S. Georgio (= monasterium) diaconus Spiridion, qui dignus est. Apii (proponebant) Josephum Volodimiriensem, et ceteri — Graecum, quem dabit Metropolita, hic erit pastor noster (dicentes). At Princeps Michaël ait: ponamus tres sortes (« Žereby »), (ut videamus) quem Deus dabit nobis. Et posuerunt in altari scripta eorum nomina et miserunt Rostyslaum, per quem « Deus elegit sibi ministrum et pastorem ovium Novhorod et totius regionis ejus — Spiridonem »; — sic refert quartum Chronicum Novhorodense.⁶⁷ Eodem anno Spiridion Kioviam profectus est, ubi a Metropolita consecrationem accepit.⁶⁸

Spiridioni successit Dalmatus, qui in extremis vitae suae duos Hegumenos indicavit, e quibus alter, cui nomen Clemens, post ejus mortem, Kioviam consecratus fuit.⁶⁹

Mortuo Clemente iterum Novhorodenses anno 1299 de more suo elegerunt Theoktistum eumque miserunt ad Metropolitam, a quo anno sequenti consecratus fuit. De ejus institutione jam vidimus supra (§ 1: Anno 1300...).

Anno 1330 Archiepiscopus Novhorodensis Moises, resignata dignitate, factus est monachus. Postquam per octo menses Sedes episcopalnis vacavit, ipsomet exeunte anno, elegerunt Gregorium, presbyterum SS. Cosmae et Damiani, qui Kalendis Januariis (1331) factus est monachus, nomen accipiens Basili. ⁷⁰ Die festo S. Joannis Baptistae (24 junii) monachus Basilius cum primatibus Volhiniam profectus est ad Metropolitam, ut Archiepiscopus Novhorodensis consacreretur. Et ordinatus fuit, ut referunt eadem Chronica, in Ecclesia Beatae Mariae Virginis Deiparae die 25 Augusti, in festo S. Apostoli Titi, a Metropolita Theognosto aliisque quinque Episcopis, scilicet: Gregorio Polocensi, Athanasio Volodimiriensi, Theodoro Haliciensi, Marco Peremyslensi et Joanne Cholmensi.⁷¹

Inter ordinationes a Metropolita Theognosto peractas, de quibus superius

⁶⁷ IBIDEM, p. 208.

⁶⁸ IBIDEM, p. 209.

⁶⁹ IBIDEM, p. 243.

⁷⁰ IBIDEM, p. 263.

⁷¹ IBIDEM, p. 263-264.

Episcoporum institutio

jam egimus, habetur etiam ordinatio hujus Basili, ubi Episcopi praesentes cum consensu absentium traduntur elegisse tres candidatos, e quibus Basilius selectus, confirmatus et consecratus est.⁷²

Ex omnibus hucusque traditis de institutione Episcoporum Novhoroden-sium inferre possumus:

1. Solummodo a dimidio saeculo XII Episcopi Novhorodenses elige-bantur ab omnibus civibus, mox et a Principe, ab Hegumenis et monachis. Ante hunc terminum, provisio hujus Sedis ad Metropolitam cum Concilio Episcoporum spectabat sicut et ceterarum.

2. Quamvis Chronica generatim nonnisi unius candidati electi nomen indicant, attamen ex duobus casibus (1193 et 1229), ubi tradita sunt nomina trium candidatorum electorum, concludendum videtur, semper electos fuisse tres candidatos.

3. E tribus candidatis sic propositis definitive unus eligebatur a concilio populi (« viče »). Trium candidatorum nomina scribebantur separatim et super altare deponebantur. Mittebant deinde aliquem caecum vel quemcumque alium, qui singula nomina in altari deposita asportabat. Ultimus re-manens electus definitive censebatur.

4. Determinata hoc modo persona non statim proficiebatur ad Metro-politam, sed nuntii, qui ejus nomine Metropolitam rogarent,⁷³ probabiliter pro confirmatione, antea mittebantur.

5. Notitia accepta, Metropolita Episcopos viciniores convocabat, ut can-didatus secundum canones eligeretur. Practice fere nullius momenti fuisse talem Episcoporum cum Metropolita deliberationem, dicendum est. Probabili-ter finis inductae talis praxis erat, ut candidati indigni arcerentur. Ceterum eandem praxim invenimus etiam Constantinopoli pro Metropolitis Kiovien-sibus.⁷⁴

6. Electus, accipiens invitationem a Metropolita, tunc tandem et ipse ad eum se conferebat, non sine donis ac eleemosynis,⁷⁵ ad consecrationem ab eo accipiendam. Aliquando consecratio in ipsa urbe Novhorod peragebatur. Consecratione tandem peracta, novus Episcopus Novhorodum redibat magno cum gaudio atque jubilo suarum ovium, suaequie Eparchiae fidelium.

III. Sic pervenimus usque ad initium saeculi XV. Episcopi instituebantur sine ulla Principum ingerentia, ut testantur Chronica; quoties enim referunt Sedium episcopalium provisiones, nonnisi de Metropolita et Concilio Episco-

⁷² 4 Novh., PSRL, IV, 151; RIB, VI, addit. col. 444.

⁷³ « i poslaša s molboju »; 4 Novh., PSRL, IV, 173.

⁷⁴ RIB, VI, addit. nn. 9, 10, 23.

⁷⁵ 4 Novh., PSRL, IV, 173.

porum mentionem faciunt. Insuper « ordo electionis Episcoporum » initio hujus saeculi conscriptus, ubi vel minima referuntur, quae in Episcoporum electionibus fieri debent, de parte Principum ne verbum quidem habet, quos quidem memorat, sed tantum ut praesentes in ipsa consecratione.⁷⁶

A conversione Regni Rus' Principum interventus, si quis fuit, in indicando candidato sibi bene viso consistebat.⁷⁷ Dantur quaedam exempla, ubi Principes Episcopum sibi non bene visum rejiciebant et alium praesentabant, sed explicanda sunt haec exempla voluntate eorum sese liberandi ab influxu politico alius Principis. Sic Andreas Bogolubskij, secunda medietate saeculi XII, odio in Principem Kioviensem ardens,⁷⁸ non solum nominavit Leontium, sed et Eparchiam Rostov-Suzdal-Vladimir dividere, immo et hanc ultimam civitatem in Metropoliam, a Kioiensi independentem, erigere conatus est. Quod tamen nunquam a Patriarcha obtinuit.

Neque influxus Principum, inde a medietate saeculi XIII in electionem Metropolitarum exercitatus, probat quoad Episcoporum creationes Principes eodem jure usos esse. Pauci enim erant Metropolitae Principum intercessione instituti, sed neque quoad hos voluntas eorum effectum sortiret, si, ex una parte Patriarchae in exilio a Latinis expulsi non invenirentur, ex altera autem, si ipsa Rus' a Tartaris devastata non fuisset.

Alium cursum res habuerunt quando Rus' sub dominium Lithuaniae et deinde Poloniae transiit. Hi Principes dominos sese considerabant supremos omnium, quae sub dominio eorum inveniebantur. Ex eo etiam bona ecclesiastica, praesertim immobilia, in eorum fuerunt potestate et de iisdem libere disponendi facultas apud eosdem erat.

Jus patronatus in ecclesias et monasteria oriebatur sive ex fundatione sive ex constructione, sive etiam ex dotazione. Sic habebantur patroni Metropolitae et Episcopi, Nobiles et Principes. De hoc testificant, praeter varias candidatorum presentationes, duo documenta: Alexandri I (1497) et Sigismundi I (1511).⁷⁹ In his documentis confirmatur forsan, ut in posterum in eadem conditione juridica maneat eae ecclesiae, quarum Metropolita et Episcopi sive etiam domini fundorum jus patronatus exercent. Non pauci tamen alii ex alio titulo habebantur, v. g. ex positiva Principis concessione. Principes considerantes se omnium beneficiorum supremos dominos, aliquando, magnatibus petentibus, concedebant aliquam ecclesiam, quae ad ipsorum donationem pertinebat. Sic in quodam documento legimus talem concessionem a Sigismundo anno 1523 factam magnati Sanguško in eccl-

⁷⁶ A. PETRUŠEVYČ, *O sposobi izbyranija i postavlenija epyskopa*, p. 17.

⁷⁷ I. S. BERDNIKOV, *Tserk. Pravo*, p. 846.

⁷⁸ S. TOMAŠIVSKYJ, o. o., p. 158.

⁷⁹ AkZR, t. I, n. 166; t. II, n. 65.

siam S. Basili in urbe Volodimiria: « Concedimus... cum omnibus quae ad eandem pertinent: nullum tamen potest usumfructum ex eadem sibi accipere, sed ecclesiam hanc Dei omnibus dotare debet, super eam jure praesentationis gaudere eandemque defendere ».⁸⁰ Tales patroni quam maxime desiderabantur, sed, proh dolor, nonnisi per exceptionem alium finem pree oculis habebant: non ut de bono ecclesiae curarent eamque defenderent, sed ut divitias sibi facilis modo acquirerent. Et ipsi candidati non raro nominationem regiam directe ab ipso vel Magnatum intercessione non ex alio fine consequi studebant. Sufficiat in memoriam revocare tot illos casus, ubi sic nominati Archimandritae de consecratione accipienda minime curantes, per longum tempus fructus beneficii sibi acquirebant familiaribusque suis elargiebant.

Dum ecclesiae et monasteria alios patronos habere potuerunt, Episcopatum collationes unice ad Principes pertinebant.

Sub dominio Magnorum Ducum Lithuaniae in eo tantum mutata est disciplina antiqua, quod sine Regis consensu Synodus convocari non potuit⁸¹ et electus in tali Synodo Episcopus adhuc confirmatione Regis indigebat. Confirmatio haec regia necessaria erat non ut jurisdictionem spiritualem exercere Episcopus posset, sed ad bona Episcopatus administranda.⁸²

Sic praevio permisso Casimiri, Regis Poloniae, extremo saeculo XV Metropolitam Jonam Hleznam electum esse extra dubium est.⁸³

Initio saeculi XVI Rex Alexander cum suis consiliariis, contra canones et antiquum morem, Episcopum Cholmensem nominavit Notarium suum Ivaško Sosnowski.⁸⁴ Hic primus est casus, quem scimus, Principem sine consultatione Metropolitae et Episcoporum nominasse candidatum ad Sedem vacantem. Sic incepit illa nefasta praxis Regum, qui non contenti sola confirmatione electorum, cooperunt directe nominare candidatos ad Sedes episcopales, initio vacantes, deinde neque de hoc curabant et Episcopos nominabant sine Metropolitae et Episcoporum provincialium consultatione, etiam ad Sedes plenas. Sub ejus successoribus toto saeculo XVI terribiles abusus

⁸⁰ AkZR, t. II, n. 124, p. 154.

⁸¹ ArJZR, pars I, t. I, p. 501; O. LEVYTSKYJ, l. c., p. 633.

⁸² Et hoc evidenter patet ex permissione St. Bathory, Regis Poloniae, anno 1579 Theodosio Episcopo Volodimiriensi-Berestensi concessa, ut propter senectutem Eparchiam resignare posset in favorem Chreptovyč. Dicit enim Rex: « permittimus ea, quae a praedecessore nostro Sigismundo Augusto accepisti ». Et ipse Theodosius dicit « hanc eparchiam, quam per Regis consensum habui, quia tamen ob senectutem bona occupata defendere non possum, immo ne quis post mortem meam cetera adhuc bona illegitime occupet... »; ArJZR, pars I, t. I, p. 124 ss.

⁸³ Archeogr. Sbornyk, I, n. 2.

⁸⁴ V. M. PLOŠČANSKIJ, *Prošloje Cholmskoy Rusy*, Vilno 1899, t. I, p. 61, 103.

contristaverunt Ecclesiam consequentiis funestissimis, ut patet ex historia.⁸⁵

Sosnowski iste, a Rege Alexandro nominatus, de consecratione accipienda non curans et uxoratus Eparchiam administrabat. Sigismundus I, Alexandri successor, potentibus incolis Cholmensibus et praesertim Uhroveckyj, anno 1507 nominavit alium titularem, Filaret, quia, ut dicebat, laicus et uxoratus ut legitimus Eparchiae possessor considerari nequit. Sosnowski tamen nolens Filareto Eparchiam cedere, eum in judicium coram Rege citavit. Anno 1508 definitive Filaret confirmatus est a Rege, Sosnowski autem amotus.⁸⁶

Synodus Vilnensis (1509) a Metropolita Joseph Soltan (1507-1521) convocata, abusus ex hujusmodi Principum in res ecclesiasticas ingerentia exorituros praevenire studuit.⁸⁷ Nominatio enim laici uxorati, qui sine Metropolitae et Episcoporum consensu Sedem occupavit, et nominatio secundi candidati in eandem Sedem, priore amoto, erat novitas introducta contra disciplinam ex antiquo observatam, unde hierarchia ecclesiastica silere non potuit. Metropolita, conscientius sui juris et praevidens abusus ex tali praxi exorituros, Concilio Episcoporum convocato, innovationem hanc coercere tentavit.

Cum perspexisset « nonnullos contemnentes Patrum traditiones et paecepta, propter gloriam terrenam et potestatis cupidinem, viventibus adhuc Episcopis eorum Sedes pretio soluto acquirere easque occupare sine consultatione et consensu Metropolitae et Episcoporum et sine 'osmotrinije' Magnatum »,⁸⁸ statuit ne quis in Sedes episcopales, in ecclesias et monasteria nondum vacantia nominationes emere auderet sub poena ecclesiasticae « non benedictionis » et excommunicationis et praeterea inhabilitatis ad officium.⁸⁹

Direkte contra candidatos ipsos, quorum gloriae terrenae et potestatis cupidini innovatio haec attribuebatur, factum est hoc statutum. Indirecte tamen et Principes accusabantur, cum Synodus praescriberet, omnes Episcopos cum Metropolita Principem adire et indignitatem candidati praesentati eidem patefacere, quoties Princeps indignum praesentaverit. In tali casu, sub poena depositionis, consecrationem conferre vetantur.⁹⁰

Metropolitae cum Synodo digne se gesserunt, abusum principia coercere studentes, at, proh dolor, Synodi hujus decreta effectum suum sortita non sunt.

Sigismundus I, qui decretum ferens in causa Sosnowski, Filaret de jure ad

⁸⁵ I. Cystovič, *O ēerk istoriji zapadno-ruskoji tserkvy*, S. Peterburg 1882-1884, t. I, p. 203.

⁸⁶ IBIDEM, p. 104.

⁸⁷ IBIDEM, p. 107.

⁸⁸ RIB, IV, col. 8.

⁸⁹ « to da budet na nych tserkovnoje neblahoslovenije i otlučenije i na epyskopstvo i na vsjakýj svjaštenyčeskyj san jich otnjud ne postavljaty »; IBIDEM.

⁹⁰ IBIDEM.

Eparchiam Cholmensem, motivum, cur illum Eparchia privaverit, adducit esse, quod sine consecratione eandem administrabat, idem iste Sigismundus in posterum non amplius de hoc curavit. Et praesertim sub regimine successoris ejus Stephani Batory abusus sine fine committebantur.

Episcopatus concedebantur quibuscumque, praesertim in remunerationem servitii alicujus in bonum Status praestiti.⁹¹ Episcopis adhuc viventibus nominabantur eorum successores,⁹² aliquando duo ad unam eandeque Sedem, inter quos lites de possessione non sine armorum usu decidebantur.⁹³ Praeterea, sic nominati, postquam in Sedis possessionem introducebantur, de consecratione non curantes, in suo quisque modo vivendi pergebant,⁹⁴ bona ecclesiastica dilapidabant vel consanguineis suis elargiebant.⁹⁵

Contra hoc ultimum punctum etiam Metropolita Jonas III (1568-1577) Regem Sigismundum Augustum in Comitiis Grodnensibus petivit, ut in posterum beneficia ecclesiastica non amplius laicis concedenda esse sanciret, nisi intra tres menses consecrationem acciperent; quodsi tempore statuto non consecrarentur, ut beneficia haec ab iisdem tollerentur et Ecclesiasticis cederentur. Respcionem affirmativam Metropolita accepit quidem, sed praxis nequaquam mutata est.⁹⁶

Metropolita Michaël Rahoza (1588-1599) ad restorationem disciplinae in Metropolia Kioviensi collapsae peragendam multum curavit.⁹⁷

Synodus Berestensis anno 1591, ab ipso Metropolita convocata, Regum juri patronatus quoad concedendas Eparchias limites apponere cupiens, statuit ut, quoties Sedes aliqua episcopalis vacaverit, Capitulum (« Krylos ») Ecclesiae cathedralis bona omnia tenenda atque administranda acciperet⁹⁸ et Metropolitano quam primum nuntiaret, quo necessitatibus provideri possit. Ejus autem erit Episcopos omnes in urbe Berest convocare,⁹⁹ ubi quatuor candidatos, qui Regi ad confirmationem proponendi erunt, synodaliter eligerent.¹⁰⁰

⁹¹ AkJZR, t. I, n. 201; t. II, n. 129; t. III, n. 20; *Opisanije dokum. unijatskych Mitropolitov*, t. I, n. 147.

⁹² AkZR, t. II, n. 146; t. III, nn. 20, 21; t. IV, nn. 64, 86.

⁹³ ArJZR, pars I, t. I, n. 24; AkZR, t. II, n. 158; V. M. PLOŠČANSKIJ, o.c., p. 104.

⁹⁴ ArJZR, pars I, t. I, n. 4, 6.

⁹⁵ AkZR, t. III, n. 13; *Archeogr. Sbornyk*, t. I, n. 76.

⁹⁶ AkZR, t. III, n. 43, p. 144.

⁹⁷ A. M. AMMANN, o.c., p. 177.

⁹⁸ *Izvestija*, XII (1908), fasc. 2, p. 62.

⁹⁹ Notandum ex hac Synodi dispositione soli Episcopi ad electionem peragendam vocandi sunt. Contra hoc statutum delegati Confraternitatis ad Synodus 1594 adiungunt: « ut eligat Archiepiscopus cum ecclesiasticis et cum consensu laicorum »; AkJZR, pars I, t. X, p. 499.

¹⁰⁰ *Izvestija*, XII (1908), fasc. 2, p. 62 ss.

Optima resolutio, sed propter omnimodam Principum libertatem per totum saeculum exercitatam, et bonorum ecclesiasticorum attractionem, non facile in praxim deduci potuit. Et res in eodem statu adhuc a. 1594 permanisse novimus ex Instructione Senatorum et Nobilium, delegatis in Synodus Berestensem data.¹⁰¹ Insuper in « articulis » Ruthenorum ad Unionem Berestensem concludendam Regi Poloniae propositis, Episcopi alludentes ad hanc Synodi Berestensis dispositionem, petunt ut sibimetipsis Metropolitarum et Episcoporum libera maneat eligendorum potestas, « sicut in canonibus sancitum habemus ».¹⁰²

Rebus sic stantibus nemo est qui non videt, Metropolitas Kiovienses toto saeculo XVI in Sedium episcopalium provisione partem habuisse minimam. Non amplius candidati eligebantur a Concilio Episcoporum, neque Metropolitis jus electos confirmandi libenter licuit exercere; quibus igitur necessario instituendum fuit eum, qui a Rege nominationem habuerat, praesertim sub Sigismundo Augusto.¹⁰³ Imo et extremo saeculo XVI etiam consecrationem Episcoporum Metropolita unus, nullis adstantibus testibus nullaque Episcoporum participatione, conferre debuit.¹⁰⁴

Abusus in infinitum fere creverunt. Nulla fere inveniebatur Eparchia, quae duos titulares simultaneos non haberet: unum actualem, alterum nominatum tantum cum jure successionis, nominatione regia pretio obtenta.¹⁰⁵

Omnibus his abusibus anno 1596 finem posuit Unio Berestensis feliciter celebrata, in qua a f.r. Clemente PP. VIII Metropolitano Kioviensi jus Episcopos « juxta morem eorum electos seu nominatos auctoritate et nomine S. Sedis confirmari vel institui, eisque munus consecrationis impendi » conceditur.¹⁰⁶

Hinc incipit nova periodus Metropoliae Kioiensis novaque vel potius renovata Kioiensium Metropolitarum potestas, de qua nunc tractare omitterimus.

¹⁰¹ AkJZR, pars I, t. X, p. 499.

¹⁰² A. THEINER, o.c., t. III, n. 1858, p. 236.

¹⁰³ 6 Augusti 1569. « Sigismund August ... a iż podawanie wladectwa nykomu (innemu) nie nalezy, iedno naszej zwierchnosczy krolewskiey, przeto rozkazujemy wdziecznosci twoiej, zebys nikogo inego nie postrzegł, any poswieczoł ... iedno Hrehora Balabana ... »; - AkJZR, pars I, t. X, p. 491.

13. 3. 1591. « Sigismundus III ... vladicatus utriusque Praemisiensis et Samboiensis facta a nobis concessione, praesentibus ... certiores reddimus potissimum vero venerabilem Michaelem Raossa, Metropolitanum Kioviensem, quem hortamur per praesentes ut ipsum eumque Michaelem Kopystynski ad vladicatum praedictum ... instituat et more solito investiat ... »; — IBIDEM, p. 74.

¹⁰⁴ AkZR, t. III, n. 146.

¹⁰⁵ « Nastavylosja episcopov mnogo na odnu stolysju po dva: za tym i porjadow zhyb »; — IBIDEM.

¹⁰⁶ « Decet Romanum Pontificem »; — M. HARASIEWICZ, o. c., p. 221.

Art. 2. — De Coadiutorum institutione.

In antiqua Rus' Coadiutores Episcoporum, qui et ipsi charactere episcopali ornati essent, non cognoscuntur. Anno 1261 Cyrillo, Rostoviensi Episcopo, aetate sat proiecto, Metropolita Cyrillo (1249-1281) consentiente, Ignatius Archimandrita designatus est a Principe adiutor.¹⁰⁷

Ignatius tamen episcopalem consecrationem solummodo anno 1262, post mortem Episcopi Cyrilli, accepit.¹⁰⁸

Medio saeculo XIV Alexius Metropolitam Theognostum (1328-1353), aegrotum et aetate proiectum, in officio metropolitano obeundo etiam multum adiuvavit. Metr. Theognostus sub finem vitae sua eum ordinavit Episcopum in Sedem Vladimiriensem.¹⁰⁹ Vladimiria autem ad Metropolitae titulum pertinebat de facto usque a Metropolitanae Sedis translatione, de jure autem a Sedis Metropolitanae translationis confirmatione.¹¹⁰

Halicia, quae saeculo XIV ut Metropolia independens a Kioviensi extitit ab initio autem saeculi XVI titulares ejus facti sunt Metropolitae Kiovienses.¹¹¹ Cum autem personaliter eam gubernare non possent, Metropolitae Kiovienses Vicarios suos nominabant, qui generatim erant Archimandritae monasteriorum, qui Metropolitarum nomine Haliciensem Eparchiam administrabant. Quamvis potestas Vicariorum sat ampla esset,¹¹² ipsi tamen officia, quae characterem episcopalem exigunt, uti sunt: Presbyteris ordines conferre, ecclesias consacrare, persolvere non potuerunt.¹¹³ Sacerdotes enim ordinarie ordinantur in Moldavia, idque testantur rationes Haliciensium coram Rege Sigismundo allatae, ad suum Vladykam in Haliciensi Sede a latino Archiepiscopo Leopoliensi independentem obtinendum.¹¹⁴

Anno 1509 Archiepiscopus latinus Leopoliensis Bernardus Wilczek obtinuit a Sigismundo, Poloniae Rege, sibi suisque successoribus privilegium instituendi omnes Vicarios Ritus Rutheni in sua Archidioecesi.¹¹⁵ Ex hoc jure aliquando dissensiones exoriebantur,¹¹⁶ attamen per 30 annos Archiepiscopi Leopolienses Latini Ritus eo usi sunt.

Tandem anno 1539 cives Halicienses petitionem porrexerunt Regi Polo-

¹⁰⁷ *Lavrent.*, PSRL, I, 203.

¹⁰⁸ IBIDEM, p. 204.

¹⁰⁹ RIB, VI, addit. n. 12, col. 66.

¹¹⁰ Anno 1354; — IBIDEM.

¹¹¹ A. M. AMMANN, *o.c.*, p. 166.

¹¹² G. MARKEVIČ, *l.c.*, p. 271.

¹¹³ TURGENEV, *Supplementa*, n. 55, d. 142-143.

¹¹⁴ IBIDEM.

¹¹⁵ IBIDEM, n. 50, p. 137.

¹¹⁶ ATJZR, pars I, t. II, n. 193, p. 349.

niae, ut concederet eis proprii Ritus Episcopum, quia, ut dicebant, Presbyteri nostri Moldaviam ad ordinationes accipiendas se conferre constringuntur, praeterea negotia spiritualia et ecclesiarum consecrationes a Vicariis, ut pote charactere episcopali parentibus, peragi non possunt.¹¹⁷ Sigismundus Macarium Tuczapskyj a Leopoliensibus electum¹¹⁸ in Vladikam constituit commisitque Metropolitae, ut eum institueret eique administrandam Sedem Haliciensem, Leopoliensem, Camenecensem, Sniatinensem et Trembovliensem concederet.¹¹⁹ Sic post 201 annos, per quos Sedes vacans fuerat, ut dicunt Halicienses in sua petitione,¹²⁰ Halicia obtinuit suum Titularem; Halicienses vero recuperaverunt libertatem ab Archiepiscopo latino, a cuius dependentia frustra ut se liberarent sub Metropolitis Josepho II Soltan (1507-1521) et Josepho III (1522-1534) extrema omnia experti erant.¹²¹

Videamus nunc quomodo concilianda sint haec duo: Metropolita Kiovensis titulum fert etiam Haliciensis Sedis, qui ab Episcopis in Haliciensem Sedem institutis inde ab anno 1539 etiam usurpat.

Ad quaestionem dirimendam sufficiat quid de hoc senserit ipse Macarius Tuczapskyj, primus Episcopus restitutae Haliciensis Sedis et quomodo rem concipiebant Metropolita Kiovensis Macarius II (1534-1556) ejusque successores.

I. « Ego Macarius Tuczapski, scribit in Hommagio suo Metroplitae, Episcopus curialis, ex bracchio illustrissimi Archiepiscopi Metropolitae Kiovensis, Haliciensis totiusque Russiae Macarii, Haliciensis, Leopoliensis, Camenecensis, Sniatinensis, Rohatiniensis, Trembovliensis omniumque terrarum Russiae et Podoliae earumque districtuum, notum facio ... quomodo dominus supremus et pastor noster, illustrissimus Archiepiscopus Metropolita Kiovensis totiusque Russiae, *de voluntate et gratia sua, nec non de jure metropolitico*, sanctitate et pastoratu suo, *me fecit episcopum suum curialem*, et dignatus est *Metropolim suam Haliciensem mihi ex bracchio suo committere*; ecclesias Dei, clerum omnesque homines ... Russiae et Podoliae terrarum, *mihi, servo suo, in inspectionem et administrationem spiritualem concredidit, mandavitque mihi dominus Macarius Metropolita ita me gerere in causis ecclesiasticis, quemadmodum antea antecessores mei se gesserunt in hac Haliciensi metropolia ... ».*

« Quapropter ego Macarius per scripturam hanc meam *appromitto* do-

¹¹⁷ TURGENEV, *Supplementa*, n. 55, p. 142.

¹¹⁸ AkZR, t. II, n. 193, p. 349.

¹¹⁹ TURGENEV, *Supplementa*, n. 55, p. 143.

¹²⁰ AkZR, t. II, n. 198, p. 359-361.

¹²¹ IBIDEM.

mino Metropolitano, pastori meo, quod hoc officium spirituale, ad Metropoliā suae illustrissimae dominationis spectans, Metropoliae Haliciensis *habere debeam, ipse ego et mei futuri successores episcopi Halicienses, ex mandato et voluntate suae Dominationis Reverendissimae, atque regere ecclesias Dei, clerum omnesque christianos appellatos nostri Ritus Graeci, in hac Haliciensi Metropolia existentes, juxta traditiones et obloquentiam canonum SS. Apostolorum Sanctorumque Patrum, uti etiam Illustrissimi Metropolitae Kioviensis, Haliciensis totiusque Russiae benedictionem et doctrinam domini Macarii ... ».*

« Praeterea appromitto, atque sub poena anathematis sanctorum Apostolorum sanctorumque Patrum, *me obstringo, quod hanc Sedem Metropoliae Haliciensis, pro mea proprietate non sim reputaturus, nec id tentaturus a Metropolia Kioviensi, ego et mei successores, sed eam tenebo et mei successores episcopi de voluntate, largitione atque benedictione Illustrissimi Metropolitae Kioviensis, Haliciensis et totius Russiae Macarii et successorum ejus ... ».¹²²*

« Antimensia quoque subscibere tenebor, nomine domini mei Metropolitae Kioviensis, Haliciensis totiusque Russiae ... ».¹²³

1. Conditio juridica Vicariorum Ecclesiae Haliciensis non in omnibus mutavit quando hi Vicarii, charactere episcopali inde ab a. 1539 insigneban-
tur. Hi Episcopi non erant independentes, sicuti et antea Vicarii, in gubernanda sibi commissa Eparchia: erant ejus « inspectores et administratores in spiritualibus ». Officium hoc spirituale habebant « ex mandato et gratia sua (i. e. Metropolitae), nec non de jure metropolitico » in eoque exercendo non solum « traditionibus et obloquentia canonum », sed etiam Metropolitae benedictione et doctrina limitabantur. Sub poena anathematis appromittebant Sedem hanc ut suam proprietatem non considerandi, neque id tentandi, sed in omnibus ita se gerendi obstringebantur, quemadmodum antea antecessores eorum se gesserunt ita, ut Antimensia suo nomine subscribere non valerent.

2. Vicarii Halicienses inde a Macario Tuczapskyj (1539) charactere episcopali aucti majori potestate ordinis gaudebant et unice in hoc mutatio eorum conditionis est reponenda. Unde et Episcopi-Vicarii in Haliciensi Sede presbyteros suos ordinare potuerunt, ad quem finem antea candidati Moldaviam mittebantur, et in genere Episcopi Halicienses persolvere potuerunt ea omnia, quae a charactere episcopali parentibus peragi non possunt.

¹²² 22. II. 1540 — Hommagium Macarii Tuczapski Metropolitae Kioviensi; — TUR-GENEV, *Supplēm.*, n. 57, p. 145; cfr. AkZR t. II, n. 201.

¹²³ IBIDEM, p. 146.

3. «Episcopus Curialis», expressionem eandem ac «Episcopus Coadiutor» significasse patet ex ejus usu hoc sensu a Sigismundo III adhibitam, quando sub finem saeculi XVI Joannem Balaban in coadiutorem cum jure successionis Leopoliensi Episcopo Gedeoni nominavit.¹²⁴ Clarius adhuc ejusdem expressionis significatio eruitur ex litteris ipsius Regis anno 1611 datis, quae saepius tales expressiones repetunt: «vladyka curialis seu coadiutor» et «vladikatus curialis seu coadiutoria».¹²⁵ Quare «episcopus curialis» et «coadiutor» idem significare extra dubium est. Praeterea ipsi Episcopi Sedem Haliciensis Metropoliae occupantes revera eam ut suam proprietatem minime considerabant, e contra, se alieno nomine eam administrare manifeste significabant. Ep. Macarius Tuczapskyj confirmans Statuta Confraternitatis Leopoliensis ecclesiae S. Nicolai scribit: «ego Macarius Episcopus Metropoliae Haliciensis, Vladika Leopoliensis et Camenecensis».¹²⁶ Easdem expressiones adhibuit etiam Arsenius, Macarii in Sede Haliciensi successor.¹²⁷

II. Quomodo rem concipiebat Metropolita Macarius II (1534-1556), qui primus suum episcopum curialem Macarium Tuczapskyj instituit, satis patet ex supracitato textu sub numero primo (I). Metropolita enim Macario Tuczapskyj *Metropolim suam tantum commisit in inspectionem et administrationem in spiritualibus mandavitque, ut in causis ecclesiasticis sese gereret, quemadmodum antea antecessores ejus se gesserunt in illa Metropolia.*

Quando anno 1549 confirmat Capitulum a Macario Tuczapskyj erectum dicit: «nos autem secundum voluntatem regiam illum Macarium in Episcopum Metropoliae Haliciensis consecravimus eumque in Vicarium in locum episcopi sui curialis instituimus, conferentes ei facultatem in spiritualibus, quomodo in Eparchia sua secundum voluntatem nostram se gerere debeat».¹²⁸

Et revera consideravit eum ut suum Vicarium in Haliciensi Sede, de quo testantur litterae ejus eleemosynas petentis pro restauranda Ecclesia Cathedrali Assumptionis B.M.V., in quibus dicit se de Ecclesiae illius pessimo statu certiore factum fuisse a suo «Vicario Haliciensi, Leopoliensi et Camenecensi Episcopo Macario».¹²⁹

¹²⁴ TURGENEV, *Supplém.*, n. 185, p. 472-473.

¹²⁵ AkJZR, t. II, p. 68.

¹²⁶ W. L. MILKOWICZ, *o.c.*, t. I, n. 10, 13.

¹²⁷ IBIDEM, nn. 15, 36, 39.

¹²⁸ 10. I. 1549 — «Hdi ž my, vedli voly i razkazanija hospodarskoho, toho Makarija na epyskopiju mytropoliji Halytskoji osvijatyly i blahoslovly, i ot sebe na misto epyskopa svojego dvornojho postavyly, dajućy jemu mots ot sebe v spravach sudov duchovnykh, jak sja majet v parafiji svojej po blahosloveniju našomu spravovaty»; — AkJZR, t. I, n. 118, p. 125.

¹²⁹ 6. II. 1547 — «Dajem vaše mylosti vidaty, što z tych časov prysylaly do nas namisnyk naš Halytskyj, Lvivskyj i Kamensja Podolskoho, epyskop Makarij»; — AkZB, t. III, n. 6, p. 18; W. C. MILKOWICZ, *o.c.*, t. I, n. 11, p. 17.

Similiter inscribuntur ejus litterae ad successorem Macarii, Episcopum Haliciensem Arsenium Balaban, in quibus significare non omittit eum esse Vicarium Metropoliae Haliciensis.¹³⁰

Metropolita Michaël Rahoza (1588-1599) quoties de Episcopo Haliciensi vel ad eum scribit, fere semper significat eum esse Episcopum « nostrae Metropoliae »,¹³¹ et semel saltem expressionem « episcopus noster curialis » adhibet.¹³²

Ex quibus omnibus hucusque allatis concludi posse videtur, Metropolitas Kiovienses saltem ab extremo saeculo XVI in sua Haliciensi Sede sibi Coadiutores instituisse.

Art. 3. — De Episcoporum translatione.

Auctores hoc tractantes argumentum generatim negant in historia Metropoliae Kioviensis usque ad saeculum XVI habitas fuisse Episcoporum ex una in aliam Sedem translationes.

N. Kapterevo in suo articulo de potestate patriarchali in antiqua Russia¹³³ tenet, quod Hierarchae in antiqua Rus' numquam ex Eparchiis suis transferebantur, sed unusquisque eorum in eadem Sede, pro qua institutus fuit, moriebatur. Fortasse intelligit assertum suum non de Rus', quae a Metropolitis regebatur, sed tantum de Russia inde ab erectione Patriarchatus Mosquensis. Sed etsi ita intelligatur nonne a fortiori haec ejus opinio ad Rus' Metropolitanam applicari deberet?

Similiter et P. Sokolov, agens de Metropolita Clemente Smoljatyō (1147), sententiam suam profert, numquam in antiqua Rus' Episcoporum translationes locum habuisse;¹³⁴ in alio autem loco assertum suum corroborat dicens Chronica numquam translationum exempla afferre.¹³⁵

Etiam E. Golubinskij dicit translationes Episcoporum in antiqua Rus' numquam locum habuisse, « qui mos — prosequitur idem Auctor — apud nos incoepit, ni fallor, non ante alteram medietatem saeculi XVI ».¹³⁶ Caute

¹³⁰ 20. IX. 1551 — « Blahoslovenije Makarija ... čestnomu epyskopu mytropoliji našoje, Halytskoje, vladytse Lvovskomu i Kamentsja Podolskoho ottsu Arseniju ». — AkJZR, pars I, t. X, pp. 34, 77; AkZR, t. III, n. 14, p. 67; Similiter 13. X. 1554; — WI. MILKOWICZ, o. c., t. II, n. 16, p. 25; etiam 20. VII. 1555; — IBIDEM, n. 17, p. 26;

¹³¹ WL. MILKOWICZ, o. c., t. I, n. 160, 161, 172, 207, 282, 288, 289, 304, 307, 315, 323.

¹³² IBIDEM, n. 159, p. 255.

¹³³ *Bogoslovskij Vestnik*, 1905, II, p. 47-48. Non agit de potestate Patriarchae Constantinopolitanii, sed illius Mosquensis.

¹³⁴ « Perevod s katedry na katedru ne praktykovalsja »; P. SOKOLOV, o.c., p. 75.

¹³⁵ IBIDEM, p. 126, in nota.

¹³⁶ E. GOLUBINSKIJ, o.c., t. I, 1, p. 371.

et cum incertitudine assertum suum profert adhibens expressionem « ni fallor ».

Notanda testimonia duorum auctorum, nempe N. Kaptterevo et E. Golubinskij, inter se non concordare. N. Kaptterevo enim negat absolute translationes saltem inde ab erectione Patriarchatus Mosquensis, i.e. a fine saeculi XVI dum E. Golubinskij jam, tempore anteriori exempla invenit ad sententiam suam comprobandam.

Nulla difficultas concordandi cum his auctoribus de translationum pessimis effectibus, si hae fiant sine ratione et nimis frequenter. Ut recte notat N. Kaptterevo,¹³⁷ quod Episcopi numquam sufficienter curabunt de Eparchia, quam actu tenent donec in aliam, forte pinguiorem, transeundi spem habebunt.

Quamvis non audeam sententias horum doctorum absolute parvipendere, attamen difficulter intelligi potest, cur facta quaedam praeterierint, quae nonnisi per translationem explicari possunt.

P. Sokolov, qui antea normam generalem tradidit, translationes Episcoporum numquam factas fuisse, immo etiam nusquam Episcoporum translationes Chronica referre asserit — nunc agens de institutione Episcopi Metropolitani Sarajensis ait: « ab anno 1261 in Saraj habebatur proprius Episcopus, vel potius Episcopus Perejaslavensis translatus fuit in Saraj »,¹³⁸ quod a Golubinskij explicatur per erectionem Sedis Sarajensis, cui adnexa est Perejaslavensis Eparchia.¹³⁹

Quando Sedes metropolitana e Kiovia translata est in Vladimir, Metropolita Maximus Simeoni, Episcopo Vladimiriensi, concredidit tunc vacantern Eparchiam Rostoviensem.¹⁴⁰ Per subsequens saeculum cum dimidio Vladimiriensis Eparchia Metropolitanae adnexa mansit, quod probatur ex facto, quod numquam proprium Titularem habuit, usquedum Alexij a Metropolita Theognosto consecratus fuit.¹⁴¹

Etiam saeculo XVI dantur exempla translationis Episcoporum.

Anno 1526 Paphnutius, Episcopus Volodimiriensis-Berestensis, petivit Regem Sigismundum, ut ei conferret Luceoriensem Episcopatum, quando Cyrilus, hujus Titularis, morietur. Rescriptum regis voluntatem Paphnutii implens extat sub dat. 8. IX. 1526.¹⁴²

Post mortem hujus Paphnutii, jam ut Episcopi Luceoriensis, Macarius,

¹³⁷ *Bogoslovskij Vestnik*, 1905, II, p. 48.

¹³⁸ P. SOKOLOV, o.c., p. 191.

¹³⁹ E. GOLUBINSKIJ, o.c., t. II, 2, p. 26-27.

¹⁴⁰ *Chr. Niconis*, PSRL, X, 172; *Troitska*, PSRL, I, 228.

¹⁴¹ RIB, VI, Addit. n. 12, col. 66.

¹⁴² AkZR, t. II, n. 146, p. 178.

Ep. Turoviensis et Pinscensis, supplicavit Regi, ut vacantem hanc Eparchiam ei concederet, quam etiam consecutus est (24. IV. 1528).¹⁴³

Anno 1585 Stephanus Bathory ob merita olim praestita, Leontio Pelčyt-skyj, Episcopo Chelmensi et Belzensi confert vacantem Eparchiam Pinscen-sem-Turoviensem.¹⁴⁴

Notandum quod vacans dicitur haec Eparchia Pinscensis-Turoviensis, cuius titularis Cyrillus Terletskyj adhuc inter vivos adnumerabatur, immo et Romam profectus, deinde feliciter Unionem peregit. Ducimur ergo ad novum factum translationis agnoscendum. Et revera anno 1584 Cyrillus adhuc erat in sua Pinsensi-Turoviensi Eparchia, ut patet ex judicio coram Rege peracto.¹⁴⁵ Immo et mense Februario anno 1585 Terletskyj adhuc ut Episcopus Pinscensis consecutus est a Stephano Rege privilegium, quo subditi ejus a vectigalibus liberabantur.¹⁴⁶ Mortuo Jona Krasenskyj, Episcopo Luceoriensi, Cyrillus Terletskyj consecutus est privilegium a Rege ante 8. VII. 1585, nam illa die Eparchia Pinscensis-Turoviensis jam ut vacans collata fuit Leontio Pelčyt-skyj. Die 9 Septembbris ejusdem anni Nicolaus Rokytskyj testatur, se introduxisse Cyrilum Terletskyj in Luceoriensis-Ostrogiensis-Eparchiae possessionem.¹⁴⁷

Periculum abusuum maxime in hac ultima periodo comminabatur. Facilis enim a Rege translationes expostulandi ex una parte et disciplinae ecclesiasticae decadentia ex altera, Episcopis in meliorum Eparchiarum consequendarum studio animum suppeditabant. Ea de causa Synodus Berestensis a 1591 celebrata amputandam curans immoderatam benefitiorum excellentiorum ac reddituum cupiditatem, omnino prohibet, ad normam veterum canonum, Episcoporum sine ratione translationes.¹⁴⁸

Ex adductis factis:

1. Nullum dubium remanet translationes Episcoporum factas fuisse saltem inde ab altera medietate saeculi XIII.

2. Consequenter non subsistit opinio Kapterevo, neque Sokolov assertum, Chronica scilicet de translatione Episcoporum silere sola ratione, quod termino « translatus-translatio » vel alio ejusdem significationis non utatur; persuadent e contra eo magis quod facta ad contrarium affirmandum non desunt; Golubinskij autem optime in sententiae suaee prolatione incertitudinem expressione « ni fallor » patefecit; nam duo facta (praeter illa morem antiquorem

¹⁴³ IBIDEM, n. 151, p. 187 (24. I^v. 1528 — Privilgium Sigismundi).

¹⁴⁴ 8. VII. 1585; — AkZR, t. III, n. 156, p. 299-300.

¹⁴⁵ 11. III. 1586; — IBIDEM, n. 160, p. 303-304.

¹⁴⁶ IBIDEM, n. 150, p. 293-294.

¹⁴⁷ IBIDEM, n. 44, p. 197 et n. 45, p. 200.

¹⁴⁸ Izvestija, XII (1908), fasc. 2, p. 67.

comprobantia), sub annis 1526 et 1528 citata ad eum de sententiae errore persuadendum sufficiunt.

3. De modo autem ipsius translationis fontes nihil nos edocent: sola facta in Chronicis referuntur, de his ultimis autem nonnisi Regum « Privilegia » exstant. Metropolitani voluntas in periodi illius antiquioris translationibus in Chronicis sat innuitur, sicut etiam sine ejusdem beneplacito ad Regum « privilegia » in modernioribus exsequenda numquam, ut clarum est, procedebatur.

Cum Concilia provincialia quotannis non celebrarentur, et facta ibi adducta nullius Concilii, a nobis cogniti, celebrationi correspondeant, Metropolitam solum auctoritate personali negotia haec Episcoporum translationis expeditisse affirmandum videtur.

METROPOLITA ET EPISCOPI (II)

ART. 1 - DE EPISCOPORUM IUDICIO. — ART. 2 - DE EPISCOPORUM DEPOSITIONE. — ART. 3 - DE APPELLATIONE. — ART. 4 - DE POTESTATE CENSURAS INFLIGENDI.

CAPUT IV

METROPOLITA ET EPISCOPI (II)

Art. 1. — De Episcoporum judicio.

Episcopos judicare cum ad Concilium provinciale ex jure etiam bizantino pertineret, Metropolitae proprium erat officium convocandi Concilia ad has causas pertractandas. Quomodo autem judicia Episcoporum in Metropolia Kiovensi peragebantur, notitias accuratiores habemus tantummodo ex saec XVI. Fontes indicant quosdam casus etiam antecedentis aetatis, nihilominus fere ad eventuum commemorationes reducuntur.

Primum casum memorant secunda Chronica Novhorodensia sub anno 1055 (6563) de Luca Novhorodensi, qui a servo suo calumniatus Kioviam profectus a Metropolita Ephraem judicatus est, apud quem mansit per tres annos.¹

Kioviam, ut patet, Lucas non voluntarie profectus est. Metropolita etiam eum ad se vocare debuit, quia apud eum calumnia delata erat. Utrum ipsum judicium a Metropolita solo, an cum Episcopis peractum sit, nil dicitur. Judicii factum tantum cum indicatione motivi necnon judicij consequentia a Chronicis traditur.²

Archiepiscopus Niphont a. 1149 (6657) vocatus ab Izjaslav et a Metropolita Clemente profectus est in Rus', ubi in Pečerskiensi monasterio reclusus fuit.

Hic casus videtur esse non tam judicij apud Metropolitam, quam apud Principem.³ Prima Chronica Novhorodensia⁴ tota de Izjaslav sunt, nam omnia dicuntur in tertia persona, dum e contra, quando agitur de Metropolita utuntur secunda persona.⁵

Anno 1156 Nestor, Ep. Rostoviensis, calumniatus a suis profectus est ad Metropolitam Constantinum.⁶ Agebatur de jejunio, a quo ipse dispensare noluit. De judicio apud Metropolitam in Chronicis nulla fit mentio. Judicium

¹ PSRL, III, 122.

² *Chronica Niconis*, PSRL, IX, p. 91

³ E. GOLUBINSKIJ, o.c., t. I, pars I, p. 309.

⁴ *Ipat. Chronica*, PSRL, II (2 ed.), pp. 341, 484.

⁵ PSRL, III, p. 105.

⁶ *Chron. Niconis*, PSRL, IX, p. 207.

tamen habitum est, in quo Nestor absolutus fuit. Tale judicium factum fuisse non a Metropolita solo, sed et ab Episcopis, constat ex litteris Patriarchae Lucae Chrysobergis ad Andream Bogoljubskij datis. Bogoljubskij enim suum finem a Metropolitana Synodo minime consecutus, ad Patriarcham sese direxit, ut non solum Lucam a Sede Rostoviensi amoveret, sed et Metropolitam Teodorum consecraret pro civitate Vladimir.

Ex responsione Patriarchae scimus, judicium apud Metroplitam peractum fuisse synodaliter. Dicit enim: «quia autem certiores facti sumus Metropolitae et Episcoporum scriptis... tales accusationes saepe motas fuisse Synodo vestra... a quibus absolutus est Episcopus Synodo sua »...⁷ Deinde in corroborationem negationis suae adducit adhuc et canonum praescripta, quibus unumquemque Episcopum a Synodo sua judicari praecipitur.

In Novhorod initio saeculi XIII anarchia completa regnabat; Novhorodenses enim Episcopos suos a Sede amoventes alios in eorum locum eligabant. Causa reponenda videtur in diversis factionibus. Evidenter, in tali casu, cum una ex factionibus Episcopum suum in Sedem introducere altera e contra hunc amo vere, suum autem candidatum evehere conaretur.

Sic anno 1211 Metrophanem expulserunt, Antonio Eparchiam commiserunt. Sed et hic post octo annos fugam arripere debuit, quia Metrophanes iterum in Sedem admissus est. Uterque ad Metropolitam missi sunt, qui unum e duobus eorum legitimum Episcopum declararet. Metropolita solus sine Concilio casum resolvere non potuit. An revera Concilium celebratum sit, non satis constat.

Postquam Metropolia Haliciensis formaliter suppressa fuit (1347), Patriarcha Isidorus citat « Metropolitam » Teodorum in judicium, ut respondeat de quibusdam accusationibus, quae et antea contra eum ut Episcopum motae erant.⁸ De hoc etiam Imperator Kantakuzenus memorat, quod Haliciensis Episcopus, qui coram Metropolita de accusationibus respondere debuit, pervenit Constantinopolim et in errorem Patriarcham inducens, factus est Metropolita Haliciensis.⁹

Moises, Archiepiscopus Novhorodensis, ob specialia dignitatis insignia a Patriarcha Philoteo sibi concessa ne a potestate Metropolitae sese eximeret accepit instructionem ab ipso, in qua eidem directe ad Patriarcham recurrendi unice permittitur, si de his privilegiis dissensio suboriatur. In aliis sub omnimoda dependentia Metropolitae ut maneat, et speciale de causis judicialiter pertractandis mentionem fecit.¹⁰

⁷ RIB, VI, col. 66.

⁸ IBIDEM, addit. n. 8, col. 40.

⁹ Litterae ad Principem Ljubart; — RIB, VI, addit. n. 6, col. 32

¹⁰ IBIDEM, col. 58.

Lepoliensis Episcopus Arsenius saepe in monasterio Uniovensi laetos dies cum famulis suis peragebat, quae Episcopi in monasterio mansio haud paucam jacturam in bonis monasterii causabat et tandem anno 1555 Archimandritam Anastasium Radylovskyj coram tribunali civili citavit de 3000 aureorum. Ea de causa Archimandrita recursum fecit ad Metropolitam et judicii terminus designatus fuit ad diem 14 Septembris.¹¹

Judicium hoc locum habuit, quia Arsenius quaestionis solutione a Metropolita facta non contentus, appellavit ad Regem.¹² Causa revisioni Regis subiecta, Arsenius pretentioni suae in monasterium renuntiare debuit: satisdato 1.000 « hryven ».¹³

Praxim in hoc judicio peragendo secutam haud novimus. Probabiliter Metropolita unus, sine Episcoporum Concilio, hanc causam judicavit. Hypothesis haec fundatur in eo, quod 1) Sigismundus citans Metropolitam, ut coram se compareat ad respondendum de sententia lata contra Regum privilegia, ne verbo quidem alludit ad Synodum habitam;¹⁴ 2) documentum-litterae Sigismundi Augusti de die 2. II. 1558¹⁵ testatur, Episcopos noluisse ad Synodum, a Metropolita convocatam, congregari. Eo vel magis, quod ante decem annos iam Sigismundus Macario Metropolitae praeceperat, ut Synodum convocaret.¹⁶

Ea de causa Metropolita, ut videtur, Episcopos ad Synodum celebrandam convocavit, qui tamen probabiliter non convenerunt, ita ut Metropolita solus quaestionem dirimere debuit.

Anno 1586 Episcopus Luceoriensis egit coram judicio saeculari et coram Metropolita contra Clerum Ecclesiae cathedralis, accusans eum de consensu praestito praedecessori suo, Jonae Borzobohatyj, in alienandis bonis ecclesiasticis.¹⁷ Krylos duos deputatos misit ad Metropolitam, ut ab accusatione se purgaret, de ipso judicio tamen nil constat.

In Synodo Berestensi 1590 duae causae judiciales contra Gedeonem Balaban, Episcopum Leopoliensem, examinatae sunt.

1) Una ex causis in hoc Concilio tractatis fuit inter duos Episcopos. Gedeon, Ep. Leopoliensis suspicavit Theophanem Ep. Meklensem de incendio bonorum. Instigavit igitur Gregorium, fratris sui filium, ut de jactura in bonis passa ulciseretur. Gregorius missionem sibi commissam fideliter exsecutus est. Causa a Theophane ad Metropolitam delata est, qui cum quatuor Epi-

¹¹ AkZR, III, n. 14, p. 67.

¹² IBIDEM, n. 15, p. 68.

¹³ MŁKOWICZ, o.c., t. I, n. 159, p. 255.

¹⁴ AkZR, III, n. 15, p. 68

¹⁵ Arch. Sbornik, IX, n. 21, p. 55.

¹⁶ AkZR, III, n. 3, p. 3.

¹⁷ ArJZR, I, pars I, n. 49, p. 219.

scopis in hac Synodo eam examini subjicit. Gedeon jurare noluit, se nullam in hoc crimine participationem habuisse, veniam a Theophane petiit et res amicaliter coram Synodo compositae sunt. In confirmationem concordiae decretum synodale dub data 28. VI. 1590 expeditum fuit.¹⁸

2) Cives et Confratres Leopolienses conquerebantur coram Synodo de Balaban, qui monasterii S. Onuphrii possessionem praetendebat, quam ob rem eorum jura limitabantur.

Similis causa Arsenii Balaban, Ep. praedecessoris et Arch. Anastasii Unoviensis pertractata fuit anno 1555, de qua superius egimus.

Haec eadem causa judicata jam fuit ab ipso Patr. Jeremia in Kamenets Podoliae, ubi Gedeon, manus propriae subscriptione actibus apposita, sollemniter ab hac praetentione desistendi sese obligavit.¹⁹ Nihilominus monasterium in pace minime relinquit, ita ut iterum causa mota et ab hoc Concilio duplici decreto definita fuit.²⁰ In utroque documento subscriptiones appositae sunt Metropolitae, quinque Episcoporum et Protonotarii.

Notandum, inter Episcoporum subscriptiones, etiam nomen ipsius Gedenonis Balaban, cuius causa agebatur, existit. Attamen subscriptus est non ut Leopoliensis et Camenecensis Episcopus, sed ut Camenecensis tantum, dum in aliis Synodi actibus utrumque titulum apponebat.²¹ Etiam sententiam Synodi in Kamenets Podoliae a Jeremia Patriarcha celebratae subscrivit tantum ut Camenecensis.²²

Fuitne ipse in illo Concilio et judex in causa sua? Certe, non fuit. Nomen suum sententiae synodali eo fine apponebat, ut propria confirmatione ad ejusdem observantium sese magis incitaret.²³

His decretis minime obstantibus, Balaban respectu monasterii S. Onuphrii in eodem modo se gerendi pergebat. Metropolita igitur ad Confratrum querelam misit Exarcham suum Athanasium, ut eidem litteras adhortatorias traduceret,²⁴ quibus tamen non obtemperavit, quaque de causa et in Synodo anni sequentis iterum de hac quaestione actum est.

Interim causa ad Patriarcham Jeremiam delata fuit, qui cum Synodo sua litteras dedit Metropolitae Rahoza committens, ut si in Synodo omnia haec vera comperta essent, eum deponeret et « omni ordine episcopali privatum ad simplicis monachi gradum eum reducat ».²⁵

¹⁸ IBIDEM, n. 65, p. 269-273.

¹⁹ MILKOWICZ, o.c., t. I, n. 131, pp. 203-205 — die 13. 11. 1589.

²⁰ IBIDEM, n. 159, pp. 254-257; n. 160, pp. 258-261.

²¹ IBIDEM, n. 157, pp. 249-252.

²² IBIDEM, n. 131, p. 205.

²³ ARJZR, pars I, t. X, n. 50, 51, 52, pp. 92-102.

²⁴ MILKOWICZ, o.c., t. I, n. 169, p. 268.

²⁵ IBIDEM, n. 189, pp. 29-7300.

In Synodi celebratione a. 1591 venit accusatus Balaban. Judicio peracto, sententia lata est secundum instructionem et ordinem Patriarchae. Gedeon misericordiam expoposcit et flens pollicitus est, non solum conversationem suam mutaturum, sed et omnia damna resarciturum esse.²⁶ Episcopi congregati Confraternitatis libertatem ab Episcopo Balaban confirmaverunt,²⁷ ipsum autem « sub decreto » relinquerunt, i. e. sententiae executionem ad proximam Synodus anno 1593 habendam distulerunt.²⁸

Balaban tamen neque cogitavit de reformando conversationis suaे modo ut probat querela Confratrum ad Patriarcham, die 6. II. 1592 missa; in qua, praeter accusationem Gedeonis, qui pergit excommunicando Sacerdotes Confraternitatis et Hegumenum monasterii, responsabilitatem huius perturbationis Synodo Episcoporum assignat, quae, ob inconvenientem indulgentiam ordinis Patriarchalis et sui synodalis decreti executionem distulit.²⁹

Synodus die 24. VI. 1593 convocata fuit ad judicandam hanc renovatam causam inter Episcopum Gedeonem et Confratres, ut constat ex citatione Gedeonis a Metropolita facta.³⁰ Die autem 27. VI. Metropolita, cum Gedeon non obtemperasset, distulit terminum praefinitum et denuo citavit Balaban ut compareret in diem 18. X. 1593;³¹ qui ne citationem quidem a cursore accipere voluit.³² Nihilominus Gedeon rationes in sui ipsius justificationem praesentavit,³³ quae insufficientes a Metropolita declaratae sunt,³⁴ in judicium tamen non comparuit. Tertia vice igitur excommunicationi subiectus fuit et tertia et ultima adhuc vice ei missa fuit citatio in judicium ad causam hanc synodaliter examinandam mense junio 1594.³⁵

Tandem Kalendis Julii 1594 Metropolita duobus cum Episcopis jussu Patriarchae sententiam synodalem executioni mandarunt: deposuerunt Balaban usquedum a contumacia recederet³⁶ et sententiam hanc ipsi Gedeoni communicaverunt.³⁷ Tres menses cum duobus hebdomadis, ut dicitur in documento expectaverunt depositi Episcopi conversionem et tandem 28. IX. ejusdem

²⁶ ArJZR, pars I, t. X, pp. 94-5.

²⁷ MILKOWICZ, o.c., t. I, n. 207, p. 319-321.

²⁸ ArJZR, pars, I, t. X, p. 94-5.

²⁹ « ... no bezcynnaho rady sobora, ne bylo o tom sud, no na pryslyj sobor otložily »; AkZR, IV, n. 33, p. 43.

³⁰ ARJZR, pars I, t. X, n. 50, pp. 92-96.

³¹ MILKOWICZ, o.c., t. I, n. 289, pp. 476-479.

³² IBIDEM, n. 291, pp. 481-482.

³³ IBIDEM, n. 298, pp. 490-492.

³⁴ IBIDEM, n. 299, pp. 493-4.

³⁵ IB. II, n. 304, pp. 500-503; n. 307, pp. 507-508.

³⁶ ArJZR, pars I, t. X, n. 51, pp. 96-101.

³⁷ MILKOWICZ, o.c., t. II, n. 319, pp. 529-530.

anni Metropolita cum iisdem Episcopis sententiam definitivae executioni mandarunt.³⁸

Facta haec enumerata satis indicant nobis praxim circa judicia Episcoporum in Metropolia Kioviensi observatam. Quaecumque actio et a quibuscumque contra Episcopos proposita necessario, ad normam canonum antiquorum, a Metropolita examinanda et revera examinata est. Judicia haec per se synodaliter peragebantur, quamvis non desint facta, de quibus ob fontium penuriam cum certitudine id affirmari nequeat.

Art. 2. — De Episcoporum depositione.

Antequam ad ipsam quaestionem tractandam accedamus, adnotare volumus fere omnia facta, quae hic afferuntur, respiciunt illam partem septentrionalem Metropoliae Kioviensis, quae Magna Russia vocabatur et vocatur. De his agere tamen non omissimus, quia hae Eparchiae simul cum meridionalibus unam Metropoliam Kioviensem efformabant, usque ad definitivam divisionem, medio saeculo XV habitam, in duas Metropolias. Consequenter haec omnia prout testimonia disciplinae in Metropolia Kioviensi tunc vigentis habenda sunt. Sed neque de illa periodo, quae divisionem subsecuta est, multa quae disciplinam observatam ostenderent invenire potuimus. Ratio hujus exiguitas notitiarum et documentorum non facile adferri potest.

I. Inde a medio saeculo XII in Chronicis adnotationes invenimus, quod Episcopus N.N. renuntiavit suo episcopatu. Renuntiare quis potest sua sponte vel coactus, et quidem varias ob causas. Generatim neque hoc neque illud in fontibus indicatur.

Episcopus Novhorodensis renuntiavit suae Eparchiae anno 1130;³⁹ Johannes anno 1230 scriptis renuntiavit episcopatu Suzdalensi;⁴⁰ anno 1269 « Metrophan, Ep. Sarajensis, reliquit Eparchiam suam et documentum renunciationis, manu propria conscriptum, Metropolitae Kioviensi totiusque Russiae misit »;⁴¹ Simeon Rostoviensis (a. 1311) reliquit episcopatum suum;⁴² Andreas, Ep. Tveriensis, episcopatu resignavit;⁴³ post mortem Basilii (a. 1352) « Novhorodenses multis precibus Moisem rogantes iterum Sedem ei restituerunt, cui antea resignaverat »⁴⁴

³⁸ ArJZR, pars I, t. X, n. 52, pp. 101-105.

³⁹ 1 et 4 *Chron. Novhorod.*, PSRL, III, p. 214.

⁴⁰ *Chron. Lavr.*, PSRL, I, p. 185; *Chron. Typografska*, PSRL, XXIV, p. 86.

⁴¹ *Chron. Niconis*, PSRL, X, p. 147.

⁴² *Chron. Trojitska*, PSRL, I, p. 229; *Chron. Niconis*, PSRL, X, p. 178.

⁴³ *Chron. Niconis*, PSRL, X, p. 179; *Chron. Typografska*, PSRL, XXIV, p. 107
Chron. Ermolinska, PSRL, XXIII, p. 98.

⁴⁴ *Chron. Niconis*, PSRL, X, p. 224; *Chron. Voskresenska*, PSRL, VII, p. 217;
Chron. Ermolinska, PSRL, XXIII, p. 111.

Ex paucis his notitiis non multa inferri possunt. Ex supra recensitis, duo Episcopi scriptis resignationem fecerunt. Utrum aliae resignationes eodem modo fiebant, non constat. De Novhorodensisbus praesertim Episcopis dubitandum videtur, utrum tempus sufficiens ad scripturam conficiendam habuerint ex eo, quod tot et tam repentinae Sedis titularium mutationes acciderint.

Aliquando nihil dicitur, quando et quomodo Episcopus sedem amiserit, sed occasione mortis significatur, eum fuisse Episcopum. Sic v.g. sub anno 1356 dicitur: « hoc anno mortuus est Gabriel Episcopus, nona die Septembris ».⁴⁵ Gabriel consecratus fuit Episcopus Novhorodensis anno 1337. Post novem annos (1346) iam aliis Episcopus consecratus est in hanc Sedem, nempe Johannes;⁴⁶ duo autem Episcopi in eandem Sedem institui non potuerunt, unde Gabriel illo anno vel sua sponte resignavit vel depositus fuit. Similiter et initio saeculi XV de alio Episcopo Rostoviensi dicitur sub anno 1405 (6913): « mortuus est Arsenius, qui olim fuit Episcopus ».⁴⁷ Notare convenit expressionem illam « qui olim fuit Episcopus », nonnisi in hanc aequivalentem: « nunc jam non est », traduci posse. Nam si diceretur: « qui olim fuit Episcopus — cum addito ‘Rostoviensis’ —, de se significare posset eum postea aliam Sedem tenuisse.

Et revera ipse Eparchiam Rostoviensem gubernavit annis 1390-1396, quo anno ei successit Gregorius.

II. Non semper tamen nuda facta resignationis in Chronicis referuntur. Aliquando indicatur etiam causa propter quam a Sede dimissionem quis petierit.

Sic anno 1228, ut refertur in 3 Chronicorum Novhorodensium, Antonius Archiepiscopus Novhorodi venit e Peremysl et occupavit Sedem; post tres annos sua sponte Eparchiam reliquit.⁴⁸

Antonius, bis memoratus, est idem, qui anno 1219 a Novhorodensisbus missus est cum Metrophane ad Metropolitam, qui Metrophani cathedram Novhorodensem adiudicavit, Antonio autem Peremysliensem Sedem contulit.⁵⁰ Quando Antonius iterum in Sedem introductus fuit Novhorodensem, tunc etiam quidam Arsenius, monachus Chutensis, ad eandem dignitatem prætentiones suas non abscondebat⁵¹ et haec probabiliter fuit causa, cur Anto-

⁴⁵ *Chron. Trojitska*, PSRL, I, p. 230.

⁴⁶ IBIDEM.

⁴⁷ IBIDEM, p. 233.

⁴⁸ IBIDEM,

⁴⁹ PSRL, III, p. 219.

⁵⁰ 1 *Chron. Novhorod.*, PSRL, p. 38.

⁵¹ *Chron. Novhorod.*, PSRL, p. 219.

nius sua sponte, seu a nemine coactus, unice ad pacem servandam Eparchiae eidem resignavit et in monasterium illud in Chutyn, ad vitam in pace finiendam, se contulit.

Anno 1216 Cyrilus Rostoviensis Eparchiae suaे resignavit, quia, ut dicunt Voskresenskaja Chronica,⁵² « in aetate fuit provectus » et « ob nimiam debilitatem » — addunt illa Niconis.⁵³

Anno 1307 Theoktistus, Archiepiscopus Novhorodensis, sua sponte, ob infirmitatem, episcopatum resignavit.⁵⁴

Ob malam valetudinem Eparchiae suaे renuntiasse testantur etiam 3 Chronicorum Novhorodensium sub anno 1388 (6896) de Alexio, qui « ob infirmitatem »⁵⁵ « sua sponte et libere »⁵⁶ relicto Episcopatu, contulit se in monasterium Resurrectionis Domini in Derevjatysa.

Quando anno 1156 Metropolita graecus Constantinus venit in Rus' loco Clementis, excommunicavit in primis et depositum ipsum Clementem et omnes ab eo ordinatos. Videntur cum ipso et duo Episcopi, qui eum recipiendi gratia Kioviam convenerant,⁵⁷ hos actus posuisse.

Eodem tempore Andreas Bogoljubskij in discordia cum Episcopo suo de jejuniiis⁵⁸ obtinuit Nestorem e Sede episcopali amovere. In Chronicis Nestoris expressio habetur pluralis: « lyša ji epyskopiji »,⁵⁹ dum apud Niconem dicitur tantum « zapreščen byst ».⁶⁰

Fortasse Metropolita simul cum Principe Andrea causam hanc examinaverunt. Contra hoc tamen stant Chronicæ Niconis, quae ad historiam complendam, paulo inferius addunt: « Metropolita iterum examinavit causam Nestoris et compertum est eum injuste calumniatum fuisse a suis familiaribus ».⁶¹ Scimus autem causam hanc non ab alio, sed a Principe ipso ad Metropolitam delatam fuisse, consequenter Princeps Andreas simul cum Metropolita eam judicare non potuit. Ad deponendum Leontium, Nestoris in Eparchia successorem, ab eodem Andrea accusatum, idem Metropolita Constantinus Synodus Episcoporum Kioviae convocavit,⁶² rationabiliter coniici potest eum etiam quoad Nestorem eodem modo egisse.

⁵² PSRL, VII, p. 162.

⁵³ PSRL, X, p. 142.

⁵⁴ *Ohr. Niconis*, PSRL, X, p. 176.

⁵⁵ PSRL, III, p. 232.

⁵⁶ *Ohr. Niconis*, PSRL, XI, p. 93.

⁵⁷ A.M. AMMANN, o.c., p. 35.

⁵⁸ IBIDEM.

⁵⁹ *Ohr. Lavr.*, PSRL, I (2 ed.), col. 347.

⁶⁰ PSRL, IX, p. 207.

⁶¹ *Ohr. Niconis*, PSRL, IX, p. 209.

⁶² A.M. AMMANN, o.c., p. 36.

III. Non desunt et pleniores notitiae, a quibus accuratiores notas colligere possumus, illi nempe casus, in quibus sola Metropolitae voluntas et alii, in quibus Synodi decretum intercedebat.

Metropolita Nicephorus anno 1185 instituit Nicolaum graecum pro Sede Rostoviensi. Princeps tamen eum non acceptavit, sed suum candidatum Lucam ad instituendum proposuit, qui revera institutus fuit a Metropolitano. Nicolaus autem jussu Metropolitae huic Sedi resignavit.⁶³ Metropolita Maximus Jacobum Vladimiriensem,⁶⁴ Metr. Petrus Ismaelem, Ep. Sarajensem,⁶⁵ Metropolita autem Theognostus Suzdalensem Ep. Danielem e Sedibus depo-
suerunt.⁶⁶

In omnibus his casibus interventus Metropolitae clarus perspicitur; semper enim dicitur « Mytropolyt otja Epyskopiju » vel « snja san ». Quomodo ipse processus fiebat, an sine processu a Metropolita decisio personaliter ferebatur, non constat. Neque documenta ulla a Patriarchis ad Metropolitam expedita horum quidquam indicant. Ex altera medietate saeculi XIV habentur litterae Patriarchae Philotei ad Archiepiscopum Novhorodensem Alexium dae, depositionem a Metropolita jussu Patriarchae peragendam comminantes, si debitum honorem et subiectionem Metropolitano suo non praestiterit.⁶⁷ De ipso modo depositionis autem - nihil habetur.

Jam exente saeculo XIV (a. 1390) curiosa adest historia depositionis Episcopi Tveriensis, in Chronicis Niconis relata.⁶⁸ Princeps Tveriensis Michael Alexandrovič in gravi discordia cum Episcopo suo manens omni ratione ab eo se liberare studuit.

Ideo vocavit Princeps Metropolitam, ut ad se veniret. Metropolita Cyprianus cum duobus Metropolitis graecis et cum Episcopis Smolenscensi et Permscensi⁶⁹ se ad Tver contulerunt. Princeps, ut Metropolitae benevolentiam conciliaret, obviam ei filios suos per tres dies cum salutationibus misit, et in fine ipse in civitate eum sollemniter recepit. Deinde per tres alias dies cum Metropolita et Episcopis festivitates celebravit multaque dona eis obtulit.⁷⁰ Tandem, quarta die, omnem clerum et « bojary » convocavit, qui omnes coram Metropolita Episcopum Euphemium accusaverunt: « multae calumniae contra Euphemium praesentatae sunt, omnes enim contra eum insurrexerunt

⁶³ *Chr. Lavr.*, PSRL, I (2 ed.), col. 391.

⁶⁴ *Chr. Trojitska*, PSRL, I, p. 228, anno 1295.

⁶⁵ *Chr. Niconis*, PSRL, X, 178, anno 1312.

⁶⁶ *Chr. Voskresenska*, PSRL, VII, p. 210; *Chr. Niconis*, PSRL, X, p. 218 cum p. 222 (anno 1341 cum 1351).

⁶⁷ RIB, VI, addit. n. 19, col. 118, anno 1370.

⁶⁸ PSRL, XI, p. 124-5.

⁶⁹ IBIDEM,

⁷⁰ *Chr. Niconis*, PSRL, XI p. 124.

— Archimandritae, Hegumeni, Presbyteri, Monachi, Bojary, Nobiles et omnes cives ».⁷¹ Metropolita cum Synodo causam judicans, Euphemium ad tempus suspendit, donec ipse melius causam examinaret.⁷² Metropolita, ut videtur, conscient erat se nimis voluntate Principis ligari, cum non obstantibus tot accusationibus ex una parte et nulla Euphemii defensione ex altera, non statim definitivam sententiam pronuntiavit, sed ad accuratiorem causae perpensionem distulit. Nihilominus ad instantiam Principis, qui alium sibi dare Episcopum petivit, Euphemius a Synodo depositus est et Metropolita Arsenium in ejus locum instituit.

Fere eiusdem temporis (1393) exstat documentum Patriarchae Antonii IV (1391—1397), quo Metropolitae Cypriano facultas committitur judicandi Johannem, Episcopum Luceoriensem, in causa cum Episcopo Volodimirensi et, si judicialiter constiterit, eum deponendi, quia illegitime Metropoliam Kioviensem occupaverat.⁷³

Probabiliter judicium peractum fuit, quia mense Januario sequentis anni idem Patriarcha, in litteris ad Regem Jagello datis,⁷⁴ de Johanne Luceoriensi dicit, eum patriarchalem « veniam, amorem et honorem » consequi non posse, nisi prius a Metropolita suo benedictionem et absolutionem petat. Insuper, si absolutus fuerit, dicit Patriarcha, mittatur Constantinopolim et instituatur Metropolita Haliciensis, secus ut mittatur a Jagello alias candidatus. Si autem nemo in ejus locum mittendus dignus inveniatur, Patriarcha ipse aliquem ex clero Constantinopolitano instituendum curabit.⁷⁵

Metropolia Haliciensis anno 1397 adhuc sine titulari manebat,⁷⁶ ipse Johannes autem initio sequentis anni pollicitus est, Regi daturum 200 hryven (pecuniae) et 30 equos, dummodo eum adjuvaret in Metropolia Haliciensi consequenda.⁷⁷

Quomodo tandem res compositae fuerunt, non liquet. Johannes anno 1401 non amplius Sedem Luceoriensem occupabat, ut patet ex praesentia et depositione Sabae, Ep. Luceoriensis, in Synodo Mosquae illo anno celebrata. In Synodo hac participaverunt 9 Episcopi, e quibus Johannes Novhorodensis et Saba, Ep. Luceoriensis Eparchiis suis resignare coacti fuerunt.⁷⁸

Novhorodensis Episcopus jam antea ter in judicium vocatus et nunc

⁷¹ IBIDEM, p. 125.

⁷² IBIDEM.

⁷³ « za prežnyja vyny jesly najdeš jich pravylnymy, a osoblyivo za tu ostannuju » RIB, VI, addit. n. 39, col. 264.

⁷⁴ IBIDEM, n. 44.

⁷⁵ IBIDEM, n. 44, col. 302.

⁷⁶ IBIDEM, n. 43, col. 392 ss.

⁷⁷ AkZR, t. I, n. 12, p. 27 (1. II. 1398).

⁷⁸ Chr. Niconie, PSRL, XI, p. 185.

propter negata judicia mensilia depositus fuit;⁷⁹ de causa autem resignationis Episcopi Luceoriensis non constat. Ex motivatione Metropolitae, in Chronicis Niconis relata, de non subiectione probabiliter agi infertur.⁸⁰

Synodus Vilnensis (1509), ubi agit de decretis hujus Concilii neque ex voluntate Principis relaxandis, statuit, ut Episcopi praesentes vel eorum successores, qui, quacumque de causa, statuta haec violaverint vel violare prae-
sumpserint, a dignitate deponantur.⁸¹

De modo procedendi in eorum depositione alio in loco ejusdem Synodi breviter innuitur, ubi Episcopis sub hac poena concedere interdicitur sacerdotibus coelibibus vel viduis facultatem celebrandi. Synodus tali casu distin-
guit depositionem Episcoporum et depositionem Metropolitae. In primo casu nulla fit mentio de Concilio aliorum Episcoporum, soli Metropolitae facultas committitur talem Episcopum e Sede amovendi;⁸² cum autem de Metropolita deponendo agatur, omnes Episcopi simul convenire jubentur.⁸³

Sub finem saeculi XVI dupli sententia synodali depositus est Gedeon Balaban, Episcopus Leopoliensis, ob illegitimam monasterii S. Onuphrii pos-
sessionem necnon propter violationem jurium Confraternitatis Leopoliensis,
ab Hierarcha loci independentis (stauropegiacae).

Primo decreto, die 1. VII. 1594 lato, Gedeon omni episcopali actu et or-
dine privatur donec a contumacia recedat.⁸⁴ Non erat sensu proprio depositio,
sed potius suspensio, quia ad tempus, donec contumacia perduraret, limita-
batur. Et revera, per aliquot menses ejus emendationem expectaverunt, qua minime secuta altero decreto, die 28. IX. ejusdem anni, praecedens confir-
mantem, omni omnino actione episcopali et in aeternum Gedeonem privave-
runt et ad monachorum statum eum redigerunt.⁸⁵

Ex omnibus documentis comprobantibus Metropolitae Kioviensis pote-
statem Episcoporum deponendorum, optimum est illud decretum depositionis
Gedeon Balaban et Michaëlis Kopystenskyj, Episcopi Peremysliensis, qui
Unionem cum Ecclesia Romana non acceptaverunt (1596).

« Nos, auctoritate a Deo et a Superiore meo mihi collata, potestate syno-

⁷⁹ *Archangelohrodskaja*, PSRL, VIII, p. 102.

⁸⁰ « Nyčtože bo tako sita demonskaja razrušajet, jakože pokorenije i smyrenije »; XI, p. 185.

⁸¹ EUHENIJ, o.c., addit. n. 10, p. 48.

⁸² « Mytropolijt Josyf i po nem budučiji, takovaho epyskopa slušne majet ot prestola izvresčy »; IBIDEM, p. 45.

⁸³ « My vsi epyskopy soborno sovokuplšesja, toho majem ot sana otlučyty »; IBIDEM.

⁸⁴ « ot vseho svjatyelskaho dijstva i čyna nyzlahajem ...až sja nam i tserkvy Božej slušne spravyt »; - ArJZR, pars I, t. X, n. 51, p. 96-101.

⁸⁵ « ... konečno nyzverhajem, i ot vseho svjatyelskoho dijstva vični časy obna-
žajem i s prostymy černey vminjajem »; - IBIDEM, n. 52, pp. 101-105.

dali ... deponimus te a Sede Episcopatus tui ... » — dicitur de Gedeone Balaban⁸⁶ — et iisdem fere verbis utitur in decreto depositionis G. Balaban-Michaëlis Kopystenskyj aliorumque Archimanditarum et Hegumenorum.⁸⁷

Non solum ipsum factum depositionis prae oculis habemus, sed simul decreti argumentum, ex quo clarissime apparet, qua potestate Metropolita usus sit simulque indicat, quid ipse de eadem senserit.

Metropolita deponit quidem synodaliter: « vladzoju soborovoju », sed auctoritas ejus provenit ab ipso Deo — mediate, ut clarum est; immediate autem haec potestas ei a Patriarcha collata est: « zverchnostiju ot Boha i ot Staršoho mni dannoju ».

Haec auctoritas-potestas Metropolitae a Patriarcha certe non est collata nunc, quia ipsi, utpote a subiectione ejusdem sese declinanti, numquam conferreretur. Consequenter eam habuit usque a sua in Sede Metropolitana institutione, quod valet aliqua saltem coniectura de ejus saltem immediatis prædecessoribus in Sede Metropolitana Kioviensi.

Resignationes ergo Episcoporum, sive sua sponte, sive etiam Metropolitae jussu fiebant. In quibusdam casibus causas eorum varias fuisse, v. g. senectutem et debilitatem vel infirmitatem corporis manifeste compertum est. Resignationum harum approbatio et acceptatio ad Metropolitam spectabat, ut documenta resignationis ab Episcopis conscripta et in manus Metropolitae tradita testantur.

Similiter et depositionum exempla habentur. In his saepe saepius Principium voluntas magnam vim habebat. Inde a fine saeculi XIV constat, depositiones Episcoporum a Metropolitis synodaliter factas fuisse potestate a suis Superioribus, Patriarchis Constantinopolitanis, accepta per institutionem in dignitate Metropolitana. Hac eadem potestate eodemque modo omnes Metropolitae Kiovienses Episcopos deposuisse probabiliter tenendum est.

Art. 3. — De appellatione.

I. Appellationem ex principio hierarchiae subiectionis ab inferiore ad superiorem fieri licet. A judicio Episcopi ad Metropolitam causae deferuntur, a sententia autem a Metropolita lata recursus datur ad ejus immediatum Superiorum, qui in casu nostro Patriarcha est.

Haec disciplina etiam in Rus' observari videtur. Ob speciales tamen dif-

⁸⁶ AkZR, IV, n. 107, p. 147.

⁸⁷ IBIDEM, n. 109, pp. 148-9.

ficultates, propter distantiam loci nempe, fortasse numquam Episcopi a judicio Metropolitae ad Patriarcham provocaverunt. Revera facta non cognoscuntur. Ad sententiae enim revisionem apud Patriarcham testes suppeditari debuissent quod, propter locorum distantiam, itineris pericula ac expensas, nullus Episcopus Metropoliae Kioviensis ad effectum perducere potuit.⁸⁸

Dantur quaedam appellationes Principum a sententia Metropolitarum. Primus causus est ille Principis Andreae Bogoliubskij medio saeculo XIII. Desiderium habendi in propria civitate Metropoliam independentem impulsit eum ad petendam a Metropolita Episcopi sui amotionem. Hoc primum apud Synodus Metropolitanam tentavit, quod cum ab ipsa non obtinuisse, accusavit Nestorem apud Patriarcham Lucam Chrysoberges (1156-1169). Interea Patriarcha, a Metropolita ejusque Synodo edoctus de injustis calumniis recusavit causae revisionem.⁸⁹ Ad instantiam tamen ipsius Nestoris Episcopi, accusationes a Principe factas examini subiecit sententiamque Synodi provincialis confirmavit.

Anno 1371 Michaël Princeps Tveriensis a Chan Tartarorum obtinuit Jarlyk (investituram) in Principatum Vladimiriensem totiusque Russiae,⁹⁰ ad quem occupandum, neglecto suo juramento fidelitatis, bellum gessit contra Principem Mosquensem, Demetrium Ivanovič. Propterea Metropolita eum excommunicavit. Michaël ad Patriarcham suum emissarium Archimandritam Theodosium misit, ut Metropolitam accusaret simulque peteret absolutionem ab «epitemia», a Metropolita ei imposita.

Patriarcha noluit absolvire, quia, ut scripserat ad Metropolitam, «indecens est, ut excommunicati a te, absolutionem a me consequantur».⁹¹ Iniunxit tamen Metropolitae, ut ipse eos absolveret, cum notitiam habuerit de ejus itinere Constantinopolim versus, ad causam (contra eum) agendum.⁹²

Saeculo XIV exeunte, ob negata judicia mensilia,⁹³ Metropolita Cyprianus excommunicavit Novhorodenses cum eorum sacerdotibus et Episcopo.⁹⁴ Novhorodenses Legatum suum Cyrillum variis cum litteris Constantinopolim miserunt, qui a Patriarcha liberationem a praetensione Metropolitae necnon absolutionem a censura ab ipso illata peteret, atque in casu negationis, se

⁸⁸ E. GOLUBINSKIJ, o.c., t. II, pars, 2, p. 15.

⁸⁹ RIB, VI, n. 3, col. 66.

⁹⁰ Chr. Niconis, PSRL, XI, p. 14.

⁹¹ RIB, VI, addit. n. 26, col. 152.

⁹² IBIDEM,

⁹³ Sic vocabantur Metropolitarum mansiones in Eparchiis Episcoporum suffraganeorum occasione earum visitationis, ad tributa colligenda et praesertim ad appellationes admittendas.

⁹⁴ RIB, VI, addit. n. 38, col. 260.

« latinos » fieri velle comminaretur.⁹⁵ Hac eorum minatione Patriarcha graviter quamvis contristatus, postulationi tamen eorum non satisfecit, Immo excommunicationem confirmavit, donec absolutionem ab ipso Metropolita exposcerent.⁹⁶ Principium a Patriarchis generatim observatum en quodnam fuit: donec Metropolita in gubernatione recte procedebat, interventus Patriarchae non necessarius neque permissus fuit.⁹⁷

Quando Simeon, Episcopus Polocensis et Vytebscensis, anno 1541 coram Rege Metropolitam Macarium accusavit de negata sibi praecedentia prae Episcopo Volodimiriensi, Sigismundus Rex Episcopos ad causam hanc in proximo festo Epiphaniae examinandam convenire jussit. Quoad appellationem, statuit tamen jus manere unicuique eorum, qui se laesum existimaverit, a sententia synodali ad Regem appellandi, qui justitiam inter eosdem faciet.⁹⁸

Sine dubio non datur judicis civilis etsi supremi instantia, ad quam appellatio a judicio Episcoporum deferri possit. Hoc est signum quantum auctoritas ac potestas Patriarcharum in Metropolia Kiovensi saeculo XVI imminuta esset, et ad quales excessus idea Regis, ut supremi in statu Domini, pervenerit.

II. Appellations a judicio Episcopi ad Metropolitam deferri probat illa controversio cum Novhorodensibus de iudiciis mensilibus.

Metropolitae visitationem totius Metropoliae peragentes, tempus mansonis unius mensis in unaquaque Eparchia designabant ita, ut non solum tributa et pignora colligerentur, sed etiam, immo potius, ut querelas admitterent; hoc vocabatur judicium mensile.⁹⁹

Unicuique facultas libera patebat Metropolitam adeundi ad justitiam querendam, si forte ab Episcopo suo non recte quis judicatus esset.

Radix hujus controversiae cerni debet in positione civitatis Novhorod, quae ad archiepiscopatus dignitatem evecta, omnibus occasionibus proficiebat a subiectione Metropolitae sese liberandi.¹⁰⁰ Jam anno 1354 Arch. Moises querelas contra Metropolitam Patriarchae detulit,¹⁰¹ cui tamen Philotheus respondens commendat, ut « sine contrarietate et humiliiter » Metropolitae se subiiciat, maxime in omnibus, quae ejus judicio et pertractatione

⁹⁵ « A u tebja, Patriarcha, i u archierejev my prosym blahoslovenja, a jesly nas ne blahoslovye, chotym sdilatsja latynjanamy »; IBIDEM, col. 260.

⁹⁶ IBIDEM.

⁹⁷ « ... ibo za čto Mytropolyt zakonno i kanonyčesky blahoslovyt ily otlučyt, to budet potverždenno i namy »; RIB, VI, addit. n. 37, col. 252.

⁹⁸ AkZR, II, n. 212, pp. 376-7.

⁹⁹ EUIIENIJ, *Opisanije K-S. S.*, p. 260.

¹⁰⁰ A. M. AMMANN, o.c., p. 90; E. GOLUBINSKIJ, o.c., t. II, pars II, p. 307.

¹⁰¹ A. M. AMMANN, o.c., p. 82.

indigebant.¹⁰² Tendentiam hanc neque Patriarcha Antonius ignoravit, qui in litteris suis ad Novhorodensem Episcopum, clerum et populum anno 1393 datis, juramenti eorum essentiam his fere verbis complectitur: « non judicari, neque subiectionem Metropolitae primo suae Hierarchae agnoscere et ab eo *superius judicium* non accipere - ecce in quo consistat juramentum vestrum ».¹⁰³

Cyrillus, Novhorodensium delegatus apud Patriarcham, dicebat: « nolumus ut Metropolita Magnam Novhorodum veniens per unum mensem iudicia peragat, vel ad querelam delatam suum ad causam pertractandam mittat legatum ».¹⁰⁴

Et ipse Patriarcha conscientius erat, in hac controversia agi de appellationibus, cum defendit jus uniuscujusque iniuriam patientis ad Superiorem recurrendi: « omnis enim, qui iniuriam patitur, jus habet recurrendi ad Metropolitam, qui causas eorum examini subiicere tenetur ».¹⁰⁵

Anno 1541 apud Simeonem, Ep. Polocensem, nobilis femina (bojarynja) Tomyla Khytovtovna accusavit virum suum Johannem, cum quo per 18 annos vitam familiarem duxerat, de physicis iniuriis sibi illatis. Simeon, causam iudicans, matrimonium eorum solvit et Johanni aliam ducere permisit. Tomyla petivit a Simenone sententiam, ut causam solutionis vinculi cognosceret, quam tamen consecuta non est. Domo igitur a Johanne expulsa alibi vixit, sed postquam per 4 annos ingentia debita pro sua substantiatione contraxit, recursum fecit ad Sigismundum Augustum. Rex litteris suis commisit Metr. Macario, ut citans Simeonem causam et sententiam iterum examinaret.¹⁰⁶

Sacerdos Timotheus, qui ecclesiam SS. Trinitatis in Klevany, in bonis Principis Johannis Cartoryjskyj sitam, accepit, conquerebatur Metr. Macario, Episcopum Luceoriensem Theodosium Liturgiam celebrare sibi interdixisse. Metropolita de causa suspensionis certior factus non ipse eum absolvit, sed Theodosio praecepit, ut absolveret nec amplius in posterum eum suspenderet vel alio modo ab exercitio ordinis impediret.¹⁰⁷

¹⁰² « bezprekoslovno i pokorno podčynajsja sudu i razoslidovaniju ... mytropolyta »; - RIB, VI, addit. n. 10, col. 58.

¹⁰³ « V samom dili - ne sudytsja u mytropolyta, ne okazyvat jemu povynovejija, po iznačalnomu običaju, ne podčynjatsja svojemu pervomu archiereju i ne prynamat ot neho vyššaho duchovnago suda - vot v čem, a ne druhom, sostojit vaša kljatva »; - RIB, VI, addit. n. 37, col. 238.

¹⁰⁴ « ne chotym ... ily ētoby mytropolyt prychodyl u Velykyj Novhorod i sudyl odyn misjac; ily ktolybo prynosyl jemu žaloby, i mytropolyt posylalby na sud svojeho čolovika »; - RIB, VI, addit. n. 38, col. 256.

¹⁰⁵ « ... ibo každyj čolovik, terpjaščij nepravdu, imijet pravo prybihnut k svojemu mytropolytu, kotoryj dolžen prynjat jeho i razsudyt dilo »; - RIB, VI, addit. n. 37, col. 238.

¹⁰⁶ 9. XII. 1545: - « i v tuju spravu i v sud jeho vhljanul i o tot rozvod malženstva jich i o škody jeji mežy nymy dosmotril »; AkZR, III, n. 2, pp. 1-2.

¹⁰⁷ AkZR, III, n. 7, p. 19-20.

Anno 1551 Metropolita absolvit Confrates Leopolienses ab excommunicatione Episcopi Arsenii et testatur, se jam antea eosdem semel absolvisse. Ea de causa preecepit Arsenio, sub poena excommunicationis a Metropolita incurrendae, ne amplius eosdem excommunicaret.¹⁰⁸

Ob controversiam de bonis inter Principem Kurbskyj et ejus uxorem Mariam Jurjevna Holšanskyj solutio matrimonii concessa fuit anno 1578.¹⁰⁹ Quando autem post tres annos iterum inter eosdem similis quaestio exorta fuit, Rex, antequam ad causae definitionem procederet, Metropolitae commisit examinationem incidentis quaestionis de vinculi solutione. Metr. Divočka ter Principem citavit, qui tamen in judicium non comparuit, sententiam non abrogavit, sed opinionem suam de solutionis illegitimitate Regi patefecit. Rex Principem ad standum in judicio coēgit et Metropolitae preecepit, ut causam vera sententia definiret, « relichto partibus jure appellandi ad superiorem instantiam ».¹¹⁰ De quanam instantia intelligendum sit — non dicitur.

Alia quaestio inter Nobiles de bonorum possessione locum dedit judicio de matrimonii solutione.

Post mortem Basilii Zahorovskyj, Castellani Bracławiensis, nobilis Catharina Cartoryjska se esse legitimam ejus uxorem simulans, haereditatem bonorum exceptit. Sed legitima uxor, nobilis Maruša Zbaražska die, 11. II. 1583 eam coram Episcopo Teodosio Volodimiriensi-Berestensi accusavit; documentis ab omnibus Episcopis et ipso Patriarcha receptis, probavit matrimonium eorum numquam fuisse solutum. Pars rea tamen per procuratores suos litteras quasdam ad jus suum probandum praesentavit, contra quas exceptioni locus datus fuit. Catharina igitur ab hoc decreto in causa incidenti ad Metropolitam appellavit. Metropolita « cum omnibus Klyrošany (Capitulo) suis » appellationem examinavit eamque ad Episcopum remisit, ad sententiae definitivae prolationem.¹¹¹

- Per totam hebdomadam causa in judicio examinabatur, Catharina frequenter appellabat, sed frustra. Tandem, non obstantibus probationibus, Episcopus iniusta sententia vinculi solutionem declaravit simulque significavit nonni si ad Regem appellari posse.¹¹²

Ad sententiam in instantia appellationis examinandam, Rex presbyteros cathedralis Ecclesiae Volodimiriensis citavit, qui simul cum Episcopo suo judices in hac causa fuerunt. Hi, quamvis oboedientiam Regi in aliis prote-

¹⁰⁸ ArJZR, pars I, t. X, n. 21, p. 34.

¹⁰⁹ AkZR, III, n. 100 (I), p. 228.

¹¹⁰ IBIDEM, n. 100 (III), p. 230.

¹¹¹ ArJZR, pars I, t. X, n. 35, p. 167.

¹¹² IBIDEM, p. 178.

staverunt, in judicium tamen se sistere omnino recusaverunt eo, quod appellatio coram incompetenti instantia delata fuit, immo Notarium Volodimiriensem delegaverunt, ut omni studio sententiae prolationi exceptione incompetentiae obstaret.¹¹³

Hae ultimo loco citatae appellationes a judicio Episcoporum non ad Metropolitam, sed ad Regem factae, motivum praebuerunt statuto Synodi Berestensis (1591), praecipienti appellationes fieri debere a judiciis Episcoporum ad Metropolitam, a judicio tamen Metropolitae ad Synodus generalem.¹¹⁴

Quoad appellationes a judiciis Episcoporum ad Metropolitas faciendas, restituta est norma in canonibus stabilita et tot saeculorum praxi comprobata. Novitas introducitur quoad appellationes a judicio Metropolitae, quae ad Patriarcham fieri debuissent, nunc autem ad Synodus generalem deferri praescribuntur. Haec probabiliter est consequentia diminutionis influxus Patriarchae, quam subsecuta est auctoritatis ejus minor aestimatio apud Hierarchas Metropoliae Kioviensis.

Art. 4. — De potestate censuras infligendi.

I. Quoad terminologiam in fontibus adhibitam notandum, eam non semper eodem sensu accipi. Suspensio - excommunicatio promiscue adhibetur ita, ut nonnisi respectu personarum, in quas feruntur, dignoscenda occurrant. Sic « отлучение », i. e. separatio seu excommunicatio, per se hanc significationem habet sive in clerum, sive in fideles feratur. In hoc ultimo casu aliam significationem evidenter non patitur. Cum autem feratur in clerum, at non ut excommunicatio, sed ut suspensio, generatim additur « a Liturgia »,¹¹⁵ vel « ab omni ordinis actu »,¹¹⁶ vel etiam aliquando simpliciter dicitur « отлучен ».¹¹⁷ « Клатва » vel « prokljatiye » seu anathema ambiguae significationi non subiacet. « Неблагословение », i. e. « nonbenedictio » generatim idem est ac « prokljatiye » seu excommunicatio,¹¹⁸ aliquando tamen idem significat ac « запрещение » seu interdictum.¹¹⁹

II. Ecclesia Russa usque ab initio has poenas cognoscebat, ut patet ex

¹¹³ IBIDEM, n. 39, pp. 188-9.

¹¹⁴ Izvestija, XII (1907), fasc. 2, p. 69.

¹¹⁵ Chr. Niconis, PSRL, X, p. 157; EUHENIJ, o.c., n. 10, p. 43, 45; RIB, VI, n. 51, col 434.

¹¹⁶ MILKOWICZ, o.c., t. I, n. 275, p. 452; n. 288, p. 475.

¹¹⁷ Chr. Niconis, PSRL, X, p. 222.

¹¹⁸ SUVOROV, O tserkovnych nakazaniyach, p. 151.

¹¹⁹ IBIDEM; ArJZR, pars I, t. X, n. 50, p. 95.

« Regulis » Metr. Johannis, ubi toties excommunicatio diversis nominibus expressa habetur. Quamvis diversa sint nomina, significatio tamen est eadem, cum fere semper in fideles, i. e. in laicos feratur; qui carnes ederint tempore jejunii, « sine communione maneant », « ut ethnici et fidei nostrae adversarii considerantur », « cum iis nec versari nec celebrare convenit »;¹²⁰ qui idolis sacrificia offerrent vel qui illegitime priore uxore relicta alteram duxerint, vel qui semel saltem in anno S. Eucharistiam non sumpserint, « alieni habeantur a collegiata Ecclesia »,¹²¹ qui in secundo gradu consanguinitatis matrimonium contraxerint, « in perfectam excommunicationem incident »,¹²² et aliae hujusmodi expressiones, quae indicant applicatum fuisse Evangelii dictum: « si... non... sit tibi sicut ethnicus et publicanus ».¹²³

Dum in his citatis « Regulis » Metr. Johannis omnes expressiones ad « otlučenije » designandum adhibentur, e contra in Concilii Vladimiriensis statutis fere semper « prokljatije » vel ex eo derivatae adhibentur.¹²⁴ Simoniam prohibens, Concilium praescribit gradatim: si Episcopi acceperint magis ac praescriptum est, « takovyja otlučajem », quod si autem solutiones exegetint - « da budut prokljaty ».¹²⁵

Synodus Vilnensis (1509) noscit « otlučenije » sine sensu excommunicationis,¹²⁶ sive suspensionis,¹²⁷ noscit etiam « prokljatije ».¹²⁸ Ex hoc Concilio apparet, « otlučenije » minorem poenam esse quam « prokljatije », cum enim de non concedenda sacerdotibus viduis celebrandi facultate agitur, ibidem statuitur, quod si laici huic legi sese opposuerint, « tych soborni otlučyty » si autem non emendentur, « prokljatiju predany budut ».¹²⁹

Synodus in Berest celebrata (1590) praescribit, eos qui multam pecuniariam propter non participationem in Synodo solvere noluerint, praeter depositionem subiici debere « pod viènoje neblahoslovenstvo i prokljatije ».¹³⁰

Synodus altera Berestensis (1591) statuit, clericos carcere non coercendos, sed secundum SS. Patres et Apostolos excommunicatione plectendos esse.¹³¹

¹²⁰ Reg. 4-5; - RIB, VI, n. 1, col. 3-4.

¹²¹ « ... čuža imity ot sbornyja tserkvy »; - IBIDEM, reg. 15 et 21.

¹²² « v soveršenoje otlučenije vložyty »; - IBIDEM, reg. 23.

¹²³ Mt. XVIII, 17.

¹²⁴ RIB, VI, col. 96, 98, 99, 100.

¹²⁵ IBIDEM, n. 6, col. 89, 93.

¹²⁶ EUHENIJ, o. c., n. 10, p. 46/7.

¹²⁷ IBIDEM, p. 43-45.

¹²⁸ IBIDEM, p. 45.

¹²⁹ IBIDEM.

¹³⁰ AkZR, IV, n. 25, p. 35.

¹³¹ « ... po pravylam svyatych Otets i Apostolov - otlučenijem »; - *Izvestija*, XII (1907), fasc. 2, p. 67.

III. Praeterea in variis « ustavni hramoty » saepe minantur excommunicationes Sanctorum 318 Patrum Concilii Nicaeni et Apostolorum, juxta quas et Metropolitae « prokljatiye » locum obtinet. Sic v. g. in litteris « ustavni » Smolescensis Episcopi Manuelis legimus: « quicumque litteras (voluntatem) has violaverit, excommunicationem SS. Apostolorum et SS. 318 Patrum incurrat ... et Sancti Metropolitae Russi Michaëlis ».¹³²

Macarius Tučapskyj, primus Ep. Leopoliensis, Capitulum restauravit et postquam de ejusdem proventibus statuerat, addit: « qui ex meis successoribus haec violaverint, sciant se incurrere excommunicationem Dei et SS. 318 Patrum et Pastoris nostri supremi Macarii, Metr. Kioviensis et Haliciensis totiusque Russiae ».¹³³

Et ipse Metropolita anno 1549 confirmans hanc Episcopi Leopoliensis dispositionem dicit: « quod si aliquis Episcopus pactum hoc violare vel non implere praesumpserit, infligimus ei excommunicationem SS. 318 Patrum, septem Conciliorum et a nobis Pastore suo excommunicatus maneat in hoc saeculo et in futuro ».¹³⁴

IV. Videamus nunc exempla, ubi laici poena excommunicationis et interdicti a Metropolita plectuntur.

Anno 1329 Principes Mosquenses Tveriensem Pr. Alexandrum Mychajlovyc bello cogebant, ut ad Regem Tartarorum Uzbek se conferret. Videntes tamen hisce artibus scopum sibi propositum minime assequi posse, recurrerunt ad Metropolitam, qui non solum Principem Alexandrum, sed et totam civitatem totamque regionem excommunicavit.¹³⁵

Ecce exemplum interdicti generalis in omnes civitates Pskovienses illati. Simul etiam testimonio est, Metropolitas Kioviensis non semel ad usus politicos potestate poenas inferendi usos fuisse.¹³⁶

Aliiquid simile accidit anno 1365, cum Princeps Novhorodensis Borys

¹³² « ... kto ... perestupyt ily posudyt siju hramotu ... budet prokljat ot svyatych apostol i svyatych otets 300 i 18 ... i svjatoho mytropolyta russkoho Mychajila »; - BENEŠEVIČ, *Sbornik*, pp. 105-6.

¹³³ Anno 1540 - « ... na tom da budet kljatva Božija i svyatych Otets trysta osmadesyat i neblahoslovenije ot našeho zverchneho pastyrja kyr Makarija, mytropolyta Kijevskoho i Halytskoho i vseja Rusy »; - AkZR, I, n. 103, p. 106.

¹³⁴ « ... a jeslyby kotoryj vladyka chotil sei zapys porušyty i toho krylošanom ne polnyty, pokladajem na neho kljatvu svyatych otets i budućej »; - IBIDE, p. 126.

¹³⁵ « ... i posla Teohnost mytropolyt otlučenije i prokljatiye na knjazja Aleksandra Mychajlovycā Tverskoho, i na ves hrad Pskov i na vsju zemlju jich »; - Chr. Ni-eonis, PSRL, X, p. 202.

¹³⁶ Suvorov, *O tserkovnych nakazaniyah*, p. 152 in nota 5.

Konstantynovyč Mosquam, a Demetrio vocatus, se conferre renuit. Sergius enim, Hegumenus de Radonez, missus est a Principe Mosquensi in Novhorod et « secundum ordinem Alexii Metropolitae et Principis Demetrii omnes ecclesiastas clausit ».¹³⁷

Post quinque annos iisdem politicis rationibus motus, Metropolita Aleksej Tveriensem Principem Michaëlem ob bellum pro sua independentia politica contra Mosquensem Principem gestum, excommunicavit,¹³⁸ a qua excommunicatione Michaël a Patriarcha absolutionem petivit.¹³⁹

Ob judicia mensilia a Novhorodensibus negata anno 1391 Metropolita Cyprianus prefectus est e Novhorod, « in Vladykam et totam Novhorod valde indignatus ».¹⁴⁰ Novhorodenses excommunicavisse patet ex litteris Patriarchae, Novhorodenses monentis, ut secundum morem Metropolitae subiificantur,¹⁴¹ atque ex aliis, confirmantibus excommunicationem a Metropolita latam, uti legitime factam.¹⁴² Post duos annos Novhorodenses juramentum suum infirmarunt, et Metropolita absolvit Episcopum omnesque cives.¹⁴³

Die 22 junii 1590 Metropolita Michaël Rahoza excommunicavit nonnullos cives Leopolienses, qui inimicitia ducti et a Gedeone Episcopo instigati activitatem Confraternitatis impediebant: « v neblahoslovenja božje i v kljatu v kladajem ».¹⁴⁴ In iisdem litteris deinde explicans, quo hac excommunicatione priventur, praescribit « ne audeant ecclesias Dei ingredi vel Sacraenta (« sprav duchovnych ») a sacerdotibus sibi ministrare sinant, neque cum christianis conversari vel in domibus eos invisiere », usquedum emendentur et cum Confraternitate reconcilientur.¹⁴⁵

Cives Leopolienses excommunicationem hanc incurserunt, et ipse Metropolita testatur se eam influisse secundum decretum Patriarchae, qui hanc poenam comminatus est omnibus, qui privilegiis Confraternitatis quocumque modo adversati fuerint.¹⁴⁶

¹³⁷ « ... po mytropolyčju slovu Aleksijevu i velykoho knjazja Dmytreja Ivana-viča tserkvy vsja zatvory »; - *Chr. Niconis*, PSRL, XI, p. 5.

¹³⁸ SOKOLOV, *Rusk. Archierej*, p. 397.

¹³⁹ RIB, VI, addit. n. 27, col. 153, ss.

¹⁴⁰ *4 Chr. Novhorod.*, PSRL, IV (2 ed.), p. 372.

¹⁴¹ RIB, VI, addit. n. 37, col. 235 ss.

¹⁴² IBIDEM, n. 38, col. 260.

¹⁴³ « ... a vladyku Ivana i ves Novhorod proščaju i razrišaju »; - *4 Chr. Novhorod.*, PSRL, IV (2 ed.), p. 374.

¹⁴⁴ MILKOWICZ, o. c., t. I, n. 158, p. 253.

¹⁴⁵ « ... žeby jste nejaké ne smily vo tserkvy boží vchodyty i nykotorych sprav duchovenstva prjmovaty, takže i s koždym chrystijanskym čelovikom ne smily byste v prjazně žity i do nich v domy chodyty » - Ibidem.

¹⁴⁶ « ... ašče kto ot sych vsich voschoščet porušyty sije ... da budet otlučen ot Ottsa, Syna, Svjatoho Ducha i po smerty nerazrišen, so symyž da imijet i kljatu 318 bohonosnych otets iže v Nikeji i pročijsich svjatych »; - *Diplomata statutaria*, II, n. 16, p. 67.

V. Nec desunt et casus Episcoporum, qui poenas a Metropolita latae subierint.

Metropolita Cyrillus II (a. 1280) sub finem vitae suaen veniens in Rostov Ignatium Episcopum suum suspendit « a liturgia », quia Principem novem hebdomadis post mortem jussit ab Ecclesia in coemeterium transferre.¹⁴⁷ Intercessione tamen Demetrii Borysovič Metropolita veniam ei dedit et S. Liturgiam omniaque officia episcopalia obire permisit.¹⁴⁸

Quando Patriarcha Isidorus synodale decretum tulit adnexionis Metropoliae Haliciensis ad Kioviensem (a. 1347), absolutionem simul concessit ab excommunicatione, quae lata fuerat in Episcopos Metropoliae Haliciensis, submissionem suo Metropolitae praestare renuentes, utpote contra canones facta.¹⁴⁹ Sokolov de ea agens asserit, eam inflictam fuisse directe a Patriarcha cum Metropolita Episcopos sibi subjectos excommunicandi facultate careret.¹⁵⁰ Mera assertio ad persuadendum non sufficit, eo vel magis, quod exempla probant Metroplitas potestatem hanc de facto exercuisse.

Anno 1351 Metr. Theognostus liturgisare permisit Episcopo Suzdalensi Danieli, qui propter culpam quandam excommunicatus fuerat.¹⁵¹ Chronica autem referunt, eum non solum liturgisandi facultatem accepisse, sed et pristinam dignitatem recuperavisse.¹⁵²

Daniel consecratus fuit in Episcopum Suzdalensem die 2. III. 1330 a Metropolita Theognosto, cum participatione Episcoporum Antonii Rostoviensis, Sophonii Sarajensis et Gregorii Rjazanensis.¹⁵³ De eo in Chronicis nullam notitiam invenimus. Anno vero 1347 adsunt documenta, quae in Suzdalensem Episcopatum institutum fuisse quendam Natanaël tradunt.¹⁵⁴ Unde inferre possumus eum illo anno vel proxime praeterito poenam hanc subiisse; de causa tamen nil constat. Ex effectu, scil. ex gravitate poenae inflictae, amotionis nempe ab officio, eam sat gravem fuisse evidens est.

Anno 1371 Patriarcha jubens Metropolitam, ut ab epitemia absolvat legatos Tveriensis Principis Michaëlis, Constantinopolim eentes ad causam agendam contra eundem Metropolitam, addit: « idem facias cum Episcopo »,¹⁵⁵ i.e. etiam eum absolvas.

¹⁴⁷ « ... otlučy Ihnatija epyskopa ot svjaščennija služby »; - *Chr. Niconis*, PSRL, X, p. 157.

¹⁴⁸ « ... prosty i blahoslovny jeho služby i vsja dijstvovaty svjaščennaja i bože-stvennaja »; - *IBIDEM*.

¹⁴⁹ RIB, VI, addit. n. 7, col. 37.

¹⁵⁰ SOKOLOV, *Rusk. Archierej*, p. 276 in nota.

¹⁵¹ *Chronica Voskresenskaja*, PSRL, VII, p. 215.

¹⁵² *Chr. Niconis*, PSRL, X, p. 222.

¹⁵³ RIB, VI, Suppl., n. 7, col. 442.

¹⁵⁴ *IBIDEM*, col. 440; *Chr. Niconis*, PSRL, X, p. 218.

¹⁵⁵ RIB, VI, addit. n. 26, col. 152.

In Chronicis de causa excommunicationis nulla adsunt documenta. Sokolov opinatur Episcopum Basilium poenam hanc subiisse ob excommunicationem Principis, quem in coemeterium transferre jusserat.¹⁵⁶

Tempore controversiae de judiciis mensilibus ne dubium quidem extat, Episcopum Novhorodensem cum presbyteris excommunicatos fuisse. Metropolita enim Cyprianus Novhorodenses omnes excommunicavit, ut eos ad juramenti relaxationem cogeret,¹⁵⁷ et excommunicavit eos secundum canones,¹⁵⁸ quam poenae irrogationem et ipse Patriarcha confirmavit.¹⁵⁹

Nihilominus Episcopus et presbyteri excommunicationem parvipedentes ab exercitio ordinum minime abstinuerunt, de quo testantur litterae Patriarchae ad eos arguendos de mala contra canones conversatione, et ad veniam a Metropolita petendam instigandos, datae.¹⁶⁰

Etiam sub finem saeculi XVI dantur quaedam exempla. Joannes Borzobohatyj-Krasenskyj, nominatus Episcopus Luceoriensis, consecrari nolens, per multos annos Eparchiam administrabat, propterea excommunicatione a Metropolita lata, tandem adstrictus est anno 1571 consecrationem accipere.¹⁶¹

Causa Gedeonis, Ep. Leopoliensis, cum Confraternitate ejusdem civitatis non pauca judicia synodalia expostulavit. Praeter sententiam ipsius Patriarchae, contra Gedeonem latam, duorum conciliorum Berestensium (1590 et 1591) sententiis non solum praetentiones Episcopi ut illegitimae declaratae fuerunt, sed et excommunicatione punitus est.¹⁶² Quando autem Gedeoni poenituisset et emendationem sui pollicitus esset, sententiae executionem ad Synodus proxime futuram (1593) Metropolita cum Episcopis procrastinaverunt.

Interea Gedeon litteras falsas sibi procuravit ac si ab ipso Patriarcha contra synodalem sententiam et contra Metropolitam datae essent,¹⁶³ Confraternitatem in judicium civile citavit,¹⁶⁴ a quo favorablem sibi sententiam obtinuit.¹⁶⁵

Metropolita igitur judicii terminum non expectans, ab omni ordinis actu

¹⁵⁶ SOKOLOV, *Rusk. Archierej*, p. 407.

¹⁵⁷ RIB, VI, ad:lit. v. 37, col. 242.

¹⁵⁸ IBIDEM, col. 24; n. 38, col. 258.

¹⁵⁹ IBIDEM, n. 38, col. 260.

¹⁶⁰ IBIDEM, n. 37 et n. 38, col. 260.

¹⁶¹ ArJZR, pars. I, t. I, p. XXVI; n. 8, pp. 29-30.

¹⁶² MILKOWICZ, o.c., t. II, n. 315, p. 522-3.

¹⁶³ MILKOWICZ, o.c., t. I, nn. 232, p. 361;n. 245 A, p. 374; n. 255, p. 397; n. 258, p. 402.

¹⁶⁴ IBIDEM, n. 262, p. 410; n. 268, p. 426; n. 270, p. 442; n. 273, p. 449;n. 274, p. 450; n. 280, p. 457; n. 298, p. 484; n. 299, p. 485.

¹⁶⁵ IBIDEM, n. 269, p. 428; n. 272, p. 447; n. 286, p. 466.

eam suspendit, excommunicavit et praescripsit ne quidquam horum exercere auderet usquedum in judicio semetipsum justificaverit.¹⁶⁶

Cum in judicium, in diem 24. VI. 1593 designatum, non comparuisset et spreta priori excommunicatione ab ordinum exercitio non abstinuisse, iterum excommunicatus fuit;¹⁶⁷ et si ulterius non obtemperavisset et excommunicatus liturgisare perrexisset, Metropolita ei depositione, immo et degradatione comminari debuisset.¹⁶⁸

Pro sua tamen animi bonitate, Metropolita Gedeoni alium terminum judicii statuit in diem 18. X. 1593¹⁶⁹ eumque citavit, ut in judicium veniret.¹⁷⁰ Gedeon justificationes suas, cum in judicium non venisset, praesentavit, quae tamen a Metropolita ut insufficientes agnitae fuerunt.¹⁷¹ Balaban neque in hoc judicium venit, neque ab ordinum exercitio abstinuit, quapropter denuo citatus fuit in judicium in Synodum anno proximo habendam,¹⁷² et interea tertia excommunicatione affectus fuit.¹⁷³

Nihilominus frustra conatus est Metropolita Episcopum hunc ad rectam viam advocare. Synodus, anno 1594 celebrata, executioni mandare jussit sententiam anno 1591 prolatam: Gedeonem depositum a dignitate episcopali.¹⁷⁴ Hujusmodi sententiae executio ipsi Gedeoni communicata fuit¹⁷⁵ et tandem post tres menses et duas hebdomadas die 28. IX. 1594, ad instantiam Confraternitatis, depositio et ad statum « simplicis monachi » reductio confirmata est.¹⁷⁶

Potestate ergo poenas infligendi Metropolitae Kiovenses utebantur non solum quoad fideles et quidem etiam extra suam Metropolitanam Eparchiam, sed etiam Episcopis suspensiones et excommunications infligebant. Hac

¹⁶⁶ 15. II. 1593 - « ... sym lystom našym twoju mylost neblahoslovijajem i ot všich dil svjaščennych i v tjahotu tserkvnuju vlatyju otlučenija vična ot boha i nerazešna do toho času až sja nam i vsemu soboru našemu duchovnomu vseho toho spravyš »; - IBIDEM, n. 275, p. 452.

¹⁶⁷ 27. VI. 1593 - « ... protož my zverchnosty pastyrstva našeho twoju mylost i povtore v neblahoslovenije vkladajem i ot všeho svjatyelskoho dijstva otlučajem, daby jesy zverchnosty i sudu našemu i ukry vžennomu bratstvu vo vsem spravylsja »; - IBIDEM, n. 288, p. 475.

¹⁶⁸ IBIDEM, p. 476.

¹⁷⁰ IBIDEM, n. 289, p. 479; Citationis intimatio cfr. n. 291, p. 481 et n. 296, p. 487.

¹⁷¹ IBIDEM, n. 298, p. 490; n. 299, p. 493.

¹⁷² IBIDEM, t. II, n. 304, p. 500.

¹⁷³ « ... po tretyje v neblahoslovenije vkladajem i ot svjatyelskoho dijstva otlučajem ... dokol se nam ... na sobore ne spravyš »; - IBIDEM, n. 307, p. 508.

¹⁷⁴ 1. VII. 1594; - IBIDEM, n. 315, p. 523.

¹⁷⁵ IBIDEM, n. 319, p. 529.

¹⁷⁶ IBIDEM, n. 323, B, p. 541-544.

potestate usi sunt ad jura sua vindicanda, ad ordinem tuendum vel restaurandum; sed etiam — et in hoc jure suo abutebantur — ad fines mere civiles a Principibus intentos obtainendos. Potestatem hanc, ut ex exemplis eruitur, exercebant semper personaliter, sine Episcoporum Concilio, etiamsi in Episcopos suspensiones vel excommunicationes ferebantur.

METROPOLITA ET EPARCHIAE

ART. 1 - DE EPARCHIARUM ERECTIONE. — ART. 2 - DE EPARCHIARUM LIMITIBUS. — ART. 3 - DE EPARCHIARUM VISITATIONE.

CAPUT V

DE POTESTATE METROPOLITARUM IN EPARCHIAS.

In jure ecclesiastico haud parvi est momenti Eparchiarum erectio, quibus corpus Ecclesiae crescit. Actus hic arbitrio singularum personarum relinqui non potest. In jure enim orientali hac de re clarae habentur regulae, quas et Metropolita Kiovensis observare tenebatur.

Art. 1. — De Eparchiarum erectione.

In Eparchiarum erectione, juxta canonum praescripta,² Metropolita, Concilii Episcoporum provincialium auxilio uti tenebatur. In Rus' eandem disciplinam viguisse innuit « Regula » Metropolitae Johannis (1080-1089), in qua « uaščenije » seu multiplicatio dioecesium nonnisi cum consensu Primae Sedis Russae et Concilii totius Provinciae permittitur.³

Quaestio oritur: quidnam pro illa Prima Sede (« Pervyj stolnyk ») intelligendum sit? — A. Pavlov eam verbo graeco « protothronos » interpretatur, quo Metropolitae significabantur;⁴ dum Filaret⁵ et A. Petrusevyc⁶ eam de Principe intelligendam esse affirmant; Concilium autem (« sbor strany vseja toja »), ad fidelium voluntatem indagandam referunt. Aliis verbis: secundum A. Pavlov Metropolita cum Episcoporum Concilio Eparchiam erigere potuit, nulla habita ratione voluntatis Principis vel fidelium respectivae regionis; secundum aliam interpretationem, Metropolita quidem cum Concilio Eparchiam erigere potuit, sed ad instantiam Principis et petitionem populi pro erigenda Eparchia. Unde discrepancia inter duas has opiniones non est in neganda vel affirmando Metropolitarum facultate erigendi vel minus novas Eparchias, sed unice respicit Principis et populi consensum.

¹ SUVOROV, *Učebnyk tserk. prava*, p. 92.

² *Carth.* Cap. 65; - *Fonti*, IX, n. 298 (+ 296-297).

³ Reg. 32: « ... no obače i pervomu stolnyku Ruskому izvolyt (sja) i sboru strany vseja nevozbranno da budet »; - RIB, VI, n. 1, col. 19.

⁴ IBIDEM, in nota.

⁵ *Istorija*, I, 1, p. 114.

⁶ *O sposobi izbraniija*, p. 189.

Ex analysi ipsius «Regulae» secunda interpretatio amplectenda videtur, cui et Suvorov adhaesisse constat.⁷ Metropolita enim «Regulam» hanc tradens, in prima ejus parte de se ipso sic loquitur: «et nobis hoc justum appetit»,⁸ in altera vero parte ejusdem «Regulae» inter consensum Primae Sedis («per-vomu stolnyku») et concilii («sboru strany vseja toja») distinctionem facit. Consequenter, si Prima Sedes nihil aliud est nisi Metropolita, nulla videtur esse ratio distinguendi inter eam et Concilium eo, quod in Concilio comprehenditur et Metropolita, sine quo Concilium coadunari non potest.⁹ Praeterea in expressione: «sbor strany vseja», pronomine demonstrativo «toja» (hujus) denotatur regio, ex qua Concilium convocabandum est, nempe regio de cuius Eparchia erigenda agitur.

Nihilominus nonnulli auctores Principi et populo influxum decisivum hoc jure adscribentes, ut fecit Suvorov,¹⁰ exagerare nimis videntur. Nam sicuti in Episcoporum institutione Principum voluntas nonnisi norma directiva consideranda est, ita in Eparchiarum quoque erectione eorum desiderium vel consilium majori auctoritate valuisse negandum est.

Quod si aliquando legimus erectam fuisse Eparchiam NN. «sub Principe NN»,¹¹ hujusmodi dictione nihil aliud significatur, nisi Eparchiam illam erectam fuisse quando Princeps erat talis et non alias, i. e. determinationem temporis definit. Immo neque talis expressio, qua utitur Rostyslav: «pryvedoch epyskopa Smolensku, sdumav s ljudmy svojimy... se ustavljuje epyskopiju»,¹² intelligenda est ac si Princeps revera Eparchiam erexisset, nam ut patet ex alia parte ejusdem documenti, in qua agitur de possibili adnexione hujus Eparchiae ad Eparchiam Perejaslavliensem, ipse Princeps minatur, se tali in casu omnia, quaecumque Episcopo contulerat, requisitorum.¹³ Inde expressio «ustavljenije epyskopiji», qua utitur Princeps, accipienda videtur non in sensu canonicae erectionis, sed in sensu dotationis. Immo ipse Rostyslav Metropolitae interventum commemorare non haesitat,¹⁴ ut et primus Episcopus Smolensensis Emanuel dicit, se cum Principe confirmare ea omnia,

⁷ *Učebnyk tserk. prava*, p. 92.

⁸ «i nam ljubezno se mnytsja byty»; - RIB, VI, col. 19.

⁹ Cfr. supra cap. II.

¹⁰ *Učebnyk tserk. prava*, p. 92.

¹¹ «pry knjaze N. N.»; - BENEŠEVYČ, *Sbornik*, p. 105.

¹² BENEŠEVYČ, *Sbornik*, p. 102 et 105.

¹³ IBIDEM, p. 105.

¹⁴ «... perestupja slovo svjatoho Mytropolity Ruskoho Mychajila ... kto razrušyt sej zamysl svjatoho ottsa mojego Mstyslava i Mytropolita Ruskoho Mychajila»; - BENEŠEVIC, *Sbornik*, p. 105.

quae a Metropolita « sunt scripta, confirmata et peracta »¹⁵ et in fine expresse confitetur Eparchiam Smolensensem erectam fuisse a Metropolita.¹⁶

De facto Eparchiarum erectio in Chronicis numquam directe indicatur. Referuntur tantum Episcoporum institutiones, quos esse primos titulares uniuscujusque Sedis ne verbo quidem significatur. Exemplo sit erectio Eparchiarum, quae simul cum Metropoliae Kioviensis erectione institutae fuerunt.

Quartus Chronicorum Novhorodensium liber refert, a Patriarcha Constantopolitano Volodimirum Metropolitam et Jacobum Episcopum Novhorodensem accepisse et deinde absque ulteriori enumeratione addit: « et pro aliis civitatibus Episcopos, presbyteros et diaconos (accepit) ».¹⁷ Chronica autem Niconis accuratius aliquantulum hanc rem determinant, traduntque etiam nomina quatuor Episcoporum, addita in fine adnotatione Chronicis Novhorodensibus simili: « et pro aliis civitatibus Episcopos instituit ».¹⁸

Metropolita itaque ad instantiam Principis vel petitionem populi, vel simpliciter propter causas canonicas Eparchias erigebat. Cum autem Episcopi non a solo Metropolita, sed etiam a Synodo provinciali eligebantur, eodem modo procedendum fuit etiam ad institutionem primi Episcopi in determinata Sede, i. e. quando simul cum Episcopi institutione Eparchia erigebatur.

Stabilito jure Metropolitarum Kioviensium quoad Eparchiarum erectionem, videndum occurrit quae et quanta fuerit eorum potestas quoad fines Eparchiarum jam existentium.

Art. 2. — De Eparchiarum limitibus.

Limites Metropoliarum circumscribere ad Patriarcham pertinebat (19). Neque de Eparchiae Metropolitanae finibus agimus, quatenus objectum controversiarum Metropolitam inter et Episcopos, quod nostra hoc in studio haud interest. Unicum nobis notum exemplum talis controversiae est lis Metropolitam Alexium inter et Suzdalensem Episcopum, item Alexium, de Ny-

¹⁵ « ... az ... epyskop Manoil, blahorodnym i chrystoljubyvym knjazem mojim Mychajilom utveržaevi ježe napysana, utveržena i sotvorena ... postavlennykom mojim Mytropolytom Ruskym kyr Mychajilom »; - IBIDEM, p. 105-6.

¹⁶ « ... i svjatoho Mytropolyta Ruskaho Mychajila, iže sostavyl siju epyskopiju »; - IBIDEM.

¹⁷ PSRL, t. IV (2 ed.), p. 90.

¹⁸ « ... i postavy Leont, mytropolyt Kijevskij i vseja Rusy, Cernyhovu epyskopa Neophyta, a v Rostov postavy Feodora, a v Volodymer Stephana, a v Bilhrad Nykytu, i po innym hradom epyskopy postavy »; - PSRL, IX, 64.

¹⁹ RIB, VI, addit. n. 7, col. 33 ss; n. 13, col. 69 ss; n. 15, col. 91 ss; n. 23, col. 129 ss; n. 33, col. 193 ss.

žnyj Novhorod et Horodets, medio saeculo XVI orta, quae pariter a Patriarcha judicata et composita fuit.²⁰

Quod limitum Eparchiarum immutatio, sicut etiam controversiarum hac in re exortarum examen ad metropoliticam potestatem pertinuerit, amplius probari licet. Jam Andreas Bogolubskij (1157-1175) ut a Metropolita Eparchiae Rostoviensis-Vladimiriensis divisionem²¹ obtineret, omnia frustra expertus fuit, neque id a Patriarcha Constantinopolitano ei concessum fuit.²²

Quod Bogolubskij consequi non potuit, ejus successores obtinuerunt, tempore scilicet quo principatus hic in duas partes divisus est.²³ Sicuti Episcoporum institutione Eparchiae ergebantur, ita etiam dividebantur. Chronica enim Nestoris sub anno 1214 (6722) referunt, Metropolitam Mattheum quendam Pachomium in Episcopum Rostoviensem, Simeonem autem in Suzdalensem et Vladimiriensem²⁴ instituisse. Ad haec usque tempora unus tantum Episcopus pro tribus his civitatibus instituebatur,²⁵ hoc proinde actu Metropolitae Matthei divisio unius dioeceseos in duas Eparchias separatas effecta fuit. Hoc clare indicant etiam Tipografskaja Chronica, quae, relata horum duorum Episcoporum institutione, addunt: « et inde divisa fuit (Eparchia): Unus Episcopus in Rostov et alter in Vladimir et Suzdal Sedes habere coepерunt ».²⁶

Item non semel inter Episcopos Rjazanenses sub controversia erat possessio loci Cervlenyj Jar. Jam Metropolita Maximus (1283-1305) et Petrus (1307-1326) controversiam de eodem territorio sententia sua dirimere studebant.²⁷ Sed controversia iterum ortum habuit sub Metropolita Theognosto (1328-1353), qui misit aliquem Hegumenum, ut in loco examinaret, cui territorium illud tribuendum esset; opinioni Hegumeni innexus, Metropolita Theognostus territorium hoc Sarajensi Episcopo Athanasio adiudicavit.²⁸ Rjazanensis tamen Episcopus Cyrilus ad juris sui probationem adduxit non solum sententiam Metropolitarum Maximi et Petri, sed et praecedentis Episcopi Sarajensis Sophoniae resignationem scriptis confectam; quibus om-

²⁰ *Chr. Niconis*, PSRL, t. X, 227; t. XI, 5; RIB, VI, addit. n. 41, col. 277 ss; n. 34, col. 229 ss; GOLUBINSKIJ, *Istorija*, t. II, p. 206; t. II, p. 319-321; SOKOLOV, *Rusk. Archijerej*, p. 425.

²¹ AMMANN, *Storia*, p. 36.

²² RIB, VI, n.13, col. 65; SOKOLOV, *Rusk. Archijerej*, p. 139-140.

²³ SOKOLOV, *Rusk. Archijerej*, p. 156-7.

²⁴ PSRL, t. I, (ed. 2), 438; *Chr. Niconis*, t. X, 67.

²⁵ a. 1214 Johannes Episcopus Rostoviensis, Suzdalensis et Vladimiriensis Eparchiae suae resignavit; - *Chr. Niconis*, PSRL, t. X, 66.

²⁶ « ... i ottoli razdjelysja: nača byty v Rostovi epyskop, a v Volodymery i Suzdaly druhoj »; - PSRL, t. XXIV, 86.

²⁷ RIB, VI, 18, col. 165.

²⁸ IBIDEM, col. 164.

nibus rite examinatis Metropolita Theognostus, priori decreto suo abrogato, alterum in favorem Episcopi Rjazanensis protulit.²⁹

Non solum Metropolitam Maximum, sed et Petrum et Theognostum controversias has synodaliter definitivisse in civitate Kostroma novimus, ex alio decreto eadem causa a Metropolita Alexio (1354-1378) lato.³⁰

Causa hujus dissensionis non tam ex parte Episcoporum quam ex parte incolarum Cervlenyj Jar pendebat, qui alieni Episcopi potestatem agnoscentes, proprii Pastoris auctoritatem respuebant. Metropolita enim Alexius eos increpat, quod « proprii Episcopi verba non observant, sed alieni, ».³¹

Athanasius tamen Episcopus Sarajensis, in cuius detrimentum prior concessio altero decreto Metr. Theognosti abrogata fuit,³² denuo favorablem sententiam obtinere tentavit sub novo Metropolita et Episcopo Rjazanensi.³³ Nihil tamen obtinuit; e contra, se nullum jus ad territorium illud habere agnoscere compulsus fuit, immo et poenas subire.³⁴

Ad Metropolitae igitur cum Concilio Episcoporum competentiam quaecumque causae fines Eparchiarum respicientes spectabant. Non solum finium mutationes, quae vel erectione novarum Eparchiarum vel suppressione jam existentium necessariae occurrabant, sed etiam dissensiones inter Episcopos a Concilio provinciali, praeante Metropolita, examinabantur ac stabiliebantur.

Manet adhuc examinanda Metropolitarum Kioviensium potestas circa Eparchias Suffraganeorum suorum, quae ad vigilantiam in totam provinciam ecclesiasticam per visitationem peragendam reducitur.

Art. 3. — De Eparchiarum visitatione.

Metropolita, ut Ordinarius loci, semper habuit Eparchiam suam metropolitanam, in qua eadem potestate potiebatur ac ceteri Episcopi in propriis Eparchiis. Haec Metropolitanana Eparchia sine dubio ejus visitationi subiectebatur, nulla proinde necessitas hac de re disserendi. Omnino aliter se habet quaestio de Eparchiis aliorum Episcoporum, an scil. hae visitationi Metropolitae obnoxiae erant, necne.

²⁹ IBIDEM, n. 18, col. 165-6.

³⁰ IBIDEM, n. 19.

³¹ « ...vy pak kak jeho slov ne prijete, no strannych pastuchov prijmajete »; - RIB, VI, n. 19, col. 170.

³² Cfr. RIB, VI, doc. 18, col. 163-166.

³³ RIB, VI, n. 19, col. 172.

³⁴ « ... i vsi vidajut, eto tot peredil ne sarajskyj. Nyni že pak vladyska Atanasij Sarajskij uvidal to, vydiv bramot tich, i za vynu jeho pokaznen ot mytropolyta, py-sanjem otstupylsja toho peredila » ... ; - RIB, VI, n. 19, col. 172.

Generatim novi Metropolitae statim post Sedis Kioviensis occupationem totam Metropoliam visitare curaverunt. Non de omnibus tamen Metropolitis hoc affirmari potest. De pluribus Metropolitis Chronica aliique fontes omnino silent ita, ut non solum de visitatione, sed neque de quacumque alia eorum activitate quicquam referant, ac si tantummodo Sedem occupassent et nihil omnino facientes morte officium suum finivissent; initium enim officii ejusque cessatio semper traduntur. Sunt e contra notitiae et quidem sat abundantes de activitate pastorali nonnullorum Metropolitarum non tantum in Chronicis, verum etiam in aliis documentis traditae, uti: acta Conciliorum, litterae, instructiones, decreta et cetera. Profecto et de visitatione totius Metropoliae quaedam testimonia inveniri possunt.

De Metropolita Cyrillo II (1249-1281) Chronica Niconis dicunt, eum « secundum morem suum Kiovia egressum omnes civitates Rus' docendo, instruendo et ordinem restaurando percurrisse ».³⁵

Digna sane laudatio laboriosi Pastoris cuius officium arduas curas ad fulgorem Ecclesiae, Tartarorum incursu obfuscatum, repristinandas expostulabat. In Concilio Vladimiensi (1274) ipse de abusibus ac disciplinae negligentia ex propria scientia, tamquam testis de visu, arguere eaque corrigenda exigere potuit.³⁶

Et revera Cyrilus non paucas urbes, officio suo durante perlustravit. Anno 1250 e Kiovia proiectus est Cernyhiv, Rjazan et Suzdal,³⁷ eodem anno in Vladimir matrimonio junxit Principem Andream Jaroslavič,³⁸ anno sequenti cum Cyrillo, Episcopo Rostoviensi, visitavit Novhorod, ubi Princeps Alexander Jaroslavič ejus precibus sanitatem recuperavit et Dalmatus in Episcopum Novhorodensem consecratus fuit.³⁹ Anno 1252 iterum revertitur Vladimirom ubi permanxit usque ad annum 1255.⁴⁰ Anno 1262 instituit Episcopum Rostoviensem Ignatium, anno vero sequenti Vladimiriae funus Principis Alexandri Jaroslavič celebravit.⁴¹ Anno 1270 e Kiovia misit litteras ad Novhorodenses, quos hortatus est pacem servare cum Principe Jaroslav Jaroslavič Vladimiensi; Kioviae permanxit usque ad annum 1274, quo se Vladimir contulit ad Serationem instituendum et Synodus celebrandam.⁴² Concilio absoluto, reversus est Kioviam; nam hoc eodem anno Novhorodenses miserunt quandam Cle-

³⁵ PSRL, t. X, 157.

³⁶ RIB, VI, n. 6, col. 85, 97-8.

³⁷ *Chron. Niconis*, PSRL, t. X, 137.

³⁸ IBIDEM.

³⁹ IBIDEM.

⁴⁰ IBIDEM, p. 139-140.

⁴¹ IBIDEM, p. 143.

⁴² IBIDEM, p. 149-150

mentem « na postavlenije » (ad instituendum)⁴³ et post duos annos Kioviae consecravit illum Clementem,⁴⁴ quamque consecrationem Vladimiriae peractam fuisse immerito asserit E. Golubinskyj.⁴⁵ Sub anno 1280 habetur in Chronicis illa superius memorata laudatio, quando Metropolita Cyrillus Kiovia egressus et civitates perlustrans usque in Suzdalensem terram pervenit, ubi in Perejaslav, die 7 decembris, mortuus est.⁴⁶

Simile testimonium perhibetur etiam de Metropolita Maximo, Cyrilli successore.⁴⁷ Paulatim tamen, post Metropoliae e Kiovia in Vladimir translationem, mos visitationum peragendarum relaxari coepit, varias ob causas, quas inter nonnullae politicae adnumerantur.⁴⁸ Metropolita Theognostus (1326-1353) visitationes, quamvis non tam frequenter, adhuc peragebat.⁴⁹ Ejus autem successori, Metropolitae Alexio, in tutela filii minorennis Principis Mosquensis defixo,⁵⁰ tempus ad officia sua obeunda deficiebat; proinde non mirandum, eum Sedem ipsam Metropolitanam aliasque Eparchias « Maloj Rusi » per decem et novem annos sine visitatione reliquisse.⁵¹

Ex his frequentibus perlustrationibus saec. XIII et XIV a Metropolitis factis magna cum probabilitate fas est concludi, Metropolitas Kiovienses jure hoc jam antea, immo inde ab ipsis initiiis gavisos esse. Hoc idem patet etiam ex ipso officio visitationis, de quo Metropolitae respondere debebant coram Patriarcha, suo Superiore. Certe non semper, ubi de parva aliqua negligentia agebatur statim interveniebant, quod ipsa locorum distantia explicari potest. In casibus tamen gravioris negligentiae, id, etiamsi non sua sponte, facere debebant.

Casus classicus habetur e medio saeculo XIV, temporibus Metropolitae Alexii, quando Patriarcha Metropoliam Haliciensem renovans, actum suum negligentia Metropolitae in visitatione peragenda justificat, quae negligentia Russiae meridionali detimento haud parvo erat. Ipsum factum hujus increpantiae nobis indicat Metropolitarum obligationem visitationis peragendae, de qua obligatione coram Patriarcha respondere debebant. Alia res est ipsa non-curantia Patriarcharum; praesertim hoc in casu. Nam, ut patet, Patriarcha non-

⁴³ IBIDEM, p. 152.

⁴⁴ IBIDEM, p. 153.

⁴⁵ *Istorija*, t. II, I, p. 58.

⁴⁶ *Ohr. Niconis*, PSRL, t. X, 157-8.

⁴⁷ IBIDEM, p. 166.

⁴⁸ RIB, VI, addit. n. 30, col. 170.

⁴⁹ *Chr. Nic.*, PSRL, t. X, 195, 201, 203, 206, 212.

⁵⁰ RIB, VI, addit. n. 33, col. 198.

⁵¹ IBIDEM, col. 200.

nisi adstrictus interveniebat,⁵² et proinde ejus deploratio parum valet.⁵³ Constantinopolis nimia eleemosynarum cupiditate ducta, quamvis sciret res in detrimentum alterius partis Russiae, scilicet meridionalis procedere, certe Metropolitam et eo mediante Principem Mosquensem sibi contrarium efficere noluisset. Res eodem cursu processissent, nisi Casimirus, Rex Poloniae, resolute justitiam expostulasset.

Quidquid sit, Constantinopoli apparuit Episcopus ex Russia meridionali cum litteris Casimiri, Regis Poloniae, aliorumque Principum, separatum Metropolitam in Haliciensi Sede petentium.⁵⁴ Comminatione Casimiri ductus Patriarcha, Antonium in Metropolitam Haliciensem instituit, quatuor Eparchiis « Maloj Rusi » ei assignatis.⁵⁵

